

DE
ORIGINE ET INDOLE
POENAE.

DISPUTATIO

AUCTORE

A. CH. JORDAN.

IN COMPLEMENTUM OPUSCULI EJUSDEM AUCTORIS

DE PRINCIPIIS LEGUM POENALIUM

QUOD

AB ILLUSTRIS JURECONSULTORUM ORDINE

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRAEMIO ORNATUM 1799.

GOTTINGAE PRODIIT TYPIS DIETERICHIANIS.

DORPATI.

C. A. KLUGE.

1837.

ORIGINE ET INDOLÉ
POËMAE.

DISPUTATIO

Est.



7793

AB ILLUSTRI JURISCONSULTORUM ORDINE
ACADEMIAE SCIENTIARUM ARTIUM ET
LITTERARUM TARTUENSIS
FRATERNITATIS
GOTTINGAE PRODUIT TYPIS DISTRICTISSIMIS

DORPATI.

C. A. H. E. B. M.

1833

VIRO ILLUSTRISSIMO

A T Q U E

EXCELLENTISSIMO

SERGIO UWAROFF

POTENTISSIMI AC AUGUSTISSIMI OMNIUM RUSSORUM IMPERATORIS IN
ORDINANDIS REBUS AD PUBLICAM ERUDITIONEM SPECTANTIBUS SUM-
MO ADMINISTRO, COMITI CONSISTORIANO, PRINCIPI A CONSILIIIS IN-
TERIORIBUS, IMPERIALIS SCIENTIARUM ACADEMIAE PRESIDI, PLU-
RIUM ORDINUM INSIGNIBUS SPLENDENTI, RELI. RELI.

PATRONO CELSISSIMO ET BENIGNISSIMO.

OMISSISSIMO VIRO

ATQUE


EXCELLENTISSIMO

SERGIO UWAROFF

Imprimatur.

Dorpati Lyon. die XV. mens. Maii 1837.

Fr. Erdmann, Censor.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

V I R

ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME.

Si quae alia, hoc quoque apud Romanos eximium et praeclarum, quod apud eos saepe etiam viri summo loco nati et quibus nequaquam domi res angustae, patriae igitur solo amore et gloriae honestae studio ducti, non accedere tantum ad rempublicam pensi habuere, sed etiam, ut huic rei aptos et instructos se redderent, non recusarunt rerum humanarum divinarumque accuratae sibi scientiae acquirendae molestias fortiter subire, sicuti, cum deinde rerum gerendarum aliquod onus in se recepissent, omnes officii suscepti partes sedulo curare et implere. Neque haec jam laus populo Russico virtute Romanos jam dudum aequanti incognita, atque imprimis TU, VIR ILLUSTRISSIME, liceat verum eloqui, ejus rei exemplum egregium praebes. Testes sunt opera, quae diversis iisque difficillimis antiquitatis graecae capitibus explicandis in publicum edidisti, testes labores TUI quotidiani in re literaria per universam Russiam sapientissime administranda. A quo igitur scriptor novus studiorum suorum generosiore patientiam exspectet, et cujus ea magis patrocinio praevalido tradita et accepta optet? Itaque ignoscas quaeso, VIR SUMME, si hoc meum de origine et indole poenae opusculum, qualecunque est, certe in temporis ei

ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME.

impensi innocuam occupationem eloboratum excelsae TUAE
benignitati offerre, idque ut solita TUA magnanimitate tueri
et protegere velis, quam maxime precari audeo, tanquam,

VIR ILLUSTRISSIME

Dab. Revaliae prae die
Calendas Maias 1836.

devotissimus TIBI cliens et cultor,

AUGUSTUS CHRISTIANUS JORDAN.

De origine atque indole poenae.

C. Plinius epist. V. 6. Primum ego officium scriptoris existimo, ut titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid coeperit scribere.

Sine dubio jam multa volumina his rebus, quae ad titulum nostrum pertinent, tractandis referta sunt, et actae illae, si non satis, attamen toties, tam multifariam, et a tantis viris, ut saltem doctiore opus esse videatur, qui illorum laboribus sese immiscere, imo eorum statutis aliquid addere vel detrudere conetur. Verumtamen certe adhuc sub iudice lis est; cur igitur non nobis etiam liceat periculum facere inveniendi, quomodo eae res omnino sese habeant, et si iis modis, qui huc usque adhibiti sunt, hoc parum successerit, cur desperemus nos alia nova via, vel etiam quasi per devia iter facientes, sive naturalis forsam cujusdam divinationis ope sive fortunae ductu ad scopum tamen eum pervenire, a quo viis tritis, ut videtur, potius aberratum est. Ergo propositum est rem tentare, cum et nunc ei exsequendae otii aliquid carpere posse videamur, et jam ad eam aetatem accesserimus, quae mores hominum multorum vidit et artes. Placet vero ad eam rationem servandam, de qua paulo ante locuti sumus, hanc, quam in animum induximus disquisitionem ita instituere, ut qui huc usque fere semper negotiorum magna copia his rebus mentem seriam applicare impediti vix didicerimus, quid alii de iis sentiant, nec nunc evolvendis et inspiciendis eorum operibus initium rei faciamus, sed potius nullis alienis doctrinis et opibus imbuti et adjuti propriarum virium soli auxilio innixi quasi fiducia juvenis, qui sui juris factus laetatur, nunc demum sibi licere ipsi eligere, quo eat et quid faciat, patriae domui valedicens impavidus terras incognitas ingreditur, seque suspecto ignotorum hominum coetui immiscere, atque ei fortunam suam credere non dubitat — sequamur et nos primum, quo nos res ipsa et sensus internus trahunt, atque iis nos tanquam certis ducibus permittamus, deinde vero, si nobis forte fortuna contingat, ut in aliquid incidamus, quod dignum videatur, cujus major habeatur ratio, videamus quoque, quid alii censeant et invenerint, eorumque sententias et doctrinas cum nostris conferamus. Haec duximus praemonenda, tam ut ordinem sequentium et quomodo ea nata sint patefaciamus, quam ut nobis ipsis quasi regulam, ad cujus rationem cuncta agi et tractari debeant, dicamus. Quod superest rogo, ne benevolus lector eorum, quae vel hac praefatiuncula vel sequentibus continentur, aliquid arroganter aut saltem inconsiderate dictum existimet, utque, qui me errasse censeat, potius errores meos corrigere vel certe ignoscere, quam propter eos inique de me sentire velit. Nam ut ea, quae praepominimus, sese habent, affirmare sane possum, ne verbum quidem, nisi quod

multo ejus scrutinio instituto verum et justum visum, proferre mihi cordi fuisse, nec ullam aliam in rem, quam quia mentem meam eloqui forsitan non inutile fore crediderim, me ea, quae hoc opusculo continentur, foras protulisse.

§. 1.

Sed jam ad opus ipsum propius accedamus, in quo omnium primum videtur constituendum, quid sit poena. Sed si rem diligentius consideramus, ad accuratam et absolutam hujus verbi notionem explicandam an nunc jam apti et instructi satis simus, profecto dubitari potest. Attamen neminem fore arbitror, qui non concedat, poenae appellatione tam designari malum sive homini sive bruto animali illatum, quam requiri, ut hoc malum alicui propterea accidat, quod is antea malefecit, et si quis praeterea contendat, ad plenum poenae vocabuli sensum exprimendum opus quoque esse, ut id malum, quod poenae nomine insigniatur, consulto animo inferatur, ego quidem non penitus dissentiam, licet ab usu loquendi populari non abhorrere videatur, generatim omne id malum, quod quasi sequela malefacti maleficientem tangat, sive ex proposito illatum sive fortuito accidens poenam appellare. Num vero poena etiam amplius aliquid sit, quam simpliciter malum ei, qui prius malefecit, relatum, hoc loco nondum se praebet, quia omnis illa quaestio, an omnino et quando permissum sit ei, qui malum intulit, tale aliquid referre; cujus indolis porro malum relatum esse debeat, ut poenae naturam prae se ferat, nec quidvis potius sit quam poena, et denique, an is qui malum retorquet, in hac re ad poenae terminos servandos simul etiam aliud quid agere debeat, quam duntaxat, ut malum referat, ad jus puniendi ejusque juris modum et limites pertinet, quae nondum apparent, quaeque fieri possit, ut omnia non in rerum natura et inania sint. Constat igitur, ut nobis nunc sufficiat et sufficere debeat, poenam, hoc verbum ab omni eo, quod non statim primo aspectu cum eo conjunctum eique jam sine altiori indagine et probatione inhaerens sese monstret, separatim solummodo dicere malum, quod alicui infertur propterea, quod is prius alteri damnum intulit, vel saltem intentavit, et alia deinceps quaestio sit, quam jam instituemus, an tale mali referendi jus esse possit et quomodo.

§. 2.

Hac de re si judicem adeas et consulas, is forte respondebit: si lex condita est, quae pro re nata poenam statuit, puniendi licentia erit et quidem ita ut lex permittit. Verumtamen lex condita justa poenae ratio esse non potest, nisi is, qui eam condidit, talis legis dicendae jure pollet, nec qualiscunque sit is, qui potestatem puniendi exercet, etiamsi summum in civitate imperium teneat et potestate maxima sit instructus, jam ob hanc solam causam, quod vim habet, etiam puniendi jure gaudet, quoniam facultas rei efficiendae ejus nondum jus est. Igitur res altius nobis repetenda est, et videndum, an et quibus conditionibus ad legem poenae ferendam et exercendam per ipsam humani generis naturam et indolem jus aliquod competere possit. Scilicet de eo non dubitamus, eum qui sive jure familiae sive alio legitimo modo, prout res publica quaeque constituta est, in ea summum locum tenet, legitima quoque legum poenaliu[m] ferendaru[m] potestate frui. At enimvero satis constat, initio fuisse homines singulos et ex iis deinde tractu temporis societates et civitates coisse et conglobatas; atque omne ideo civile imperium, si de ejus justo ambitu quaeras, jurum hominum singulorum complexu finitur, nec summo adeo in civitate imperio jus ejusmodi inesse potest, cujus nullum in singulis hominibus reperitur vestigium. Ex quo apparet, etiam eum qui summa in civitate potestate fungitur, si rem a principio repetas, nullum jus puniendi habere, nisi quatenus singulis hominibus tale quid competat, et vel jurum singulorum conjunctione et conglobatione

potestas aliqua amplior effici possit¹⁾. Quae quomodo sese habeant videamus.

§. 3.

Est autem sane homini et cuique animali ex rerum natura omnium eorum jus competens, quae ei permissa et concessa sint oportet, ut animam ducat, vel potius, ut non solum ipse, sed et genus ejus servetur, et ad ambitum naturae suae se exserere et vigere possit. Nam cum naturae ipsius jussu existat, et aliquis esse debeat, talem se exhibere, qualis esse a natura jussus est, profecto ei etiam naturale jus et obligatio erit. Jam Cicero de officiis lib. I. cap. 4. ita habet:

„Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura videantur, omniaque, quaecumque ad vivendum sunt necessaria; inquirat et paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis. Commune autem animantium omnium est conjunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quaedam eorum, quae procreata sunt.“

Vel, ut Feder in libro suo de eo quod natura docet (Naturlehre) dicit:

„Se ipsum amare homini primus et innatus existentiae suae finis et studium est; conserva vitam tuam, et omnia ea, quae natura tua utque haec rite excolatur, requirunt, tanquam primaeum et simul cum eo ipso enatum homini cuique a ratione praeceptum est officium“²⁾.

Deinde vero, quoniam praeterea, quod homo est animal et animantium omnium jure utitur, hoc praestat, quod mente est praeditus, atque ut animal mente praeditum sese exhibere et ex mentis sanae praeceptis vivere debet, sequitur ei quoque competere, quae haec ejus singularis ratio ac conditio efflagitant; sicuti consonum est, eum, cui res aliqua competit, et cui fas igitur est, eam sibi habere ac deprecere, si aliter hoc assequi nequeat, eam sibi vi retinendi, vel si non habeat, ejus per vim sibi arripiendae naturali jure gaudere. Si quis ergo eum prohibet, ne, quantum opus est, cibi et potus et vestitus et quietis sumat, neve vitam et artus integros conservet, vel liberorum procreandorum rem habeat³⁾ liberosque tuea-

1) M. T. Cicero de legibus Lib. I. c. IV. Natura enim juris explicanda est nobis eaque ab hominis repetenda natura.

Porro c. X. Quae praemuniantur omnia reliquo sermoni, disputationique nostrae, quo facilius jus in natura esse positum, intelligi possit.

Et eodem loco c. XI. qui jam licet nobis a natura leges et jura sejungere.

Et c. XII. Est enim unum jus, quo devincta est hominum societas et quod lex constituit una quae lex est recta ratio imperandi, atque prohibendi.

2) Confer. etiam Sam. Pufendorff de officio hominis et civis cap. III. §. 2.

3) Notum, quam etiam hujus rei desiderium et appetitus in homine naturalem vim habeat; sed cum hoc tamen nuper exemplo praeter alia effero confirmatum legerim, ejus rei narrationem hic addere non incongruum videtur. In ephemeridibus quae Dorpati singulis hebdomadibus ter prodeunt ad ann. 1834. et m. Novbr. Nr. 93. ita legitur:

„De Helmersen in epistola ex loco, cui nomen Ustcamenogorsk d. 25. Aug. 1834. scripta et ad descriptionem itineris per regiones montes Altai earum naturae inspiciendae gratia suscepti pertinentiae haec habet: Deinde Uimonem equo vectus sum, quo die quinto perveni, equosque Redderskium remisi, ut cui animo destinatum, postea recta via per Cholsunem ad Fykalkam et flumen Buchtarmam pergere. Uimon unus est ex vicis illis notitia accuratiori certe dignis, qui in recessibus montis Altai siti et ab hominibus in metalla condemnatis, postea vero a poena liberatis, et a latronibus initio hujus saeculi conditi sunt. Conditorum nunc pauci iique senes supersunt. Fanaticis superstitionibus et libertatis amore exciti argenti fodinis relictis in loca illa deserta auferunt, per multos ibi annos venatione, rapinis et agris colendis vitam sustentantes. Ut olim Romani raptu sibi mulieres quaesivero, et Fykalkae filius ut matrem uxorem haberet, patrem occidit, eadem deinde a fratre natu minore ejusdem rei causa percussus.“

tur, vel etiam ne, quantum justum est, mentem exerceat et excolat, in statu rerum naturali ei jus est, si non alio modo prohibitio ut cesset, efficere possit, vi quacunq[ue] arrogare et retinere id, quod ut habeat, ipsa generis sui nativa indole praeceptum et comprehensum est, quodque ita naturae lege et majestate ei concessum alius hanc legem infringens injuria detinet vel eripere vult ¹⁾.

1) Quae res etiam latius patet, quam primo aspectu videatur. Nam homini ea de causa non solum suae et suorum personae, sed etiam rerum ejusdam liberae et privatae possessionis jus naturale profecto est et facultas manere debet. Recte enim dicit Raynal in libri sui inclyti de coloniis et commercio Europaeorum in terris Indiciis Tom. 3. pag. 112:

„Hic modus possessionum preciarum ab omnibus semper hominibus sapientibus reprobatum est. Constante illi opinati sunt, sine certo imo hereditario in res domini jure nullum populum neque potentiae, neque gloriae, neque etiam vigoris aliquem justum gradum posse attingere. Domini omni jure sublato non fore in terris nisi homines ferros sine tegmine per rura vagantes et fructibus radicibusque sponte enatis vitam misere tolerantis; et eo saltim non hereditario admissio quemcumque parandarum sibi opum non ultra studiosum fore, nisi quatenus ipse adhuc cum suis acquisitas comedere et consumere possit, atque sic genus humanum privatum iri omnibus iis, quae amor in liberos, nominis perpetuandi desiderium et eximia voluptas, qua posterorum utilitatem curantes promoventesque afficimur, in aevum futurum duratura constituere et efficere nos exstimulant. Opinio philosophorum quorundam audaciorum, quod dominium hereditarium nihil aliud sit nisi spoliū a nonnullis sociis in caeteros admissum, refellitur per sortem ab omnibus iis rebus publicis expertam, quae hoc jure condita et eo usae sunt; cunctae per aliquid tempus vitam infrequentia civium egenam et publici regiminis infirmitate languidam trahentes misere periere.“

Georgius quoque Forster in dissertatione de meritis Cookii terras incognitas detegenti narrationi suae de ejus itinere, quod vice tertia circum orbem terrarum fecit, annexa pag. 111. haec verba habet: „Nemo ne homo quidem ferus invenitur, qui mentis compos nesciat, aliquam rem sibi et aliam alii propriam esse posse, quique, quod sibi tanquam suum asserit, quempiam sibi immiungere inultum patitur.“

Sed quamquam propterea cuique parandae et sibi habendae rei ad ejus majorem copiam efficiendam et ad excitandum studium virium exercendarum, quanta juste fieri potest libertas maxima conservanda, attamen videndum, ut etiam unicuique civium aliqua justae possessionis facultas remaneat, nec singulorum quoque civium et familiarum fere nullis modis coercita parandarum et retinendarum sibi opum potestas et licentia tolerandae. Nam, etiamsi civitatis alicujus opes quam maximae sint, eae tamen vix tales evenire posse videntur, ut inter omnes aequaliter divisae cuique plus justo praebent, atque eo magis, si cumulandarum sibi divitiarum civibus singulis nullus modus est, accidere necesse est, ut tractu temporis rerum tam inaequalis possessio fiat, ut eae pacem omnes in paucorum manibus sint, maxima vero pars civium vix necessaria ac ne necessaria quidem teneant. Qui status rerum quam perniciosus sit, et quantae ex hac paucorum opulentia et reliquorum summa, et nostra quidem sententia jus naturale imminuente indigna turbae ortum habeant, experientia etiam confirmatur, cum non solum nunc inprimis status Angliae dubius huic rei documento sit, sed alia quoque tam nostri aevi quam praeteritorum temporum nationes ejus nobis exempla praebent, et forsitan non insulse aliqui dixerit, omnes, quae perierunt civitates, non aliena vi excisae, sed maxime suis ipsorum vitis depressae, illa potissimum inaequalitate periisse. Nec mirum; etenim, cum homo ita natura formatus sit, ut ipsa etiam ratione humana contineri videatur et quasi certum propositum praemium, ut, quicumque relicta solo belluarum more vivendi feritate humaniter se gerere, et ad rationem vitam instituere incipiat, hac emendatione vitae vivendi quoque adjuventis locupletiosem et gaudiis beatiorum se redditurus sit, sed eadem tamen recta ratio eum edoceat, ad eam rem socio-rum auxilio esse opus, nec ab aliis jus fasque et in iis rebus, quas ipse solus efficere nequeat, suppetias consecuturum, nisi qui eadem aliis in tempore se praestitutum bonam de se suspensionem clerit, hac vero egregia fama ut utatur, eum omni modo moderate ac juste vivere, sive bonis moribus excellere debere, patet neque eximie divitem et hujus suae opulentiae certum, neque eximie egenum et spe melioris conditionis destitutum, praeter eos perpaucos, quibus ad recte vivendum persuasio vitae post hanc alius melioris sufficit, valde propensos fore ad formandos sibi, quia imo ne ad retinendos quidem, ejusmodi bonos mores, quorum tamen in civitate permagna necessitas est; non divitem, ut qui jam habeat, quorum causa illi parantur et servantur, non egenum,

§. 4.

In adhibenda vero hac vi ut nos nostrarque tueamur et conservemus, deinde duplici modo possumus versari, vel ita, ut viribus validiores eum, qui injuriam facit vel facere intendit, quasi ut infantem domemus et adeo artuum libero usu impediamus, ut nocere prorsus non possit, vel ita, ut non ejus corpori sed animo potissimum talem vim faciamus, id est, eum cogamus ipsi sibi imperare, et, licet nocendi sit libido et potestas, tamen ab injuria desistere; cujus rei ratio, quando tamen in vi illata consistit, non alia esse potest quam haec, ut eum, qui injuriam facit vel saltem meditatur, malo afficiamus, et nisi cesset, doloris reiterationem minitemus, eoque modo, quoniam omne animans natura sua id in quaque re agit, non ut sibi dolorem, sed ut sibi voluptatem cieat et procuret, illum ab inceptu desistere commoveamus et perpellamus, et si facinus jam peregit, certe deterreamus, tale quod iterum in posterum moliri. Nec dubitari profecto licet, permissum esse homini laeso etiam posteriori hoc modo vim facere laedenti, in quantum opus, ne ille ipse aut qui ad eum pertinent, neque nunc neque in posterum in iis, quae ad fines naturae assequendos iis necessaria sunt, vim et diminutionem patiantur. Etenim sic adhibita omnis et quocumque modo adhibita vis justos defensionis, quam competere initio paragraphi antecedentis vidimus, limites nequaquam excedit. Atque est quoque jam ex eo, quod quis semel laesit, magna suspicio, eum ad reiterandas injurias adhuc prouorem fore, nam ut perbelle Juvenalis satyra 13. dicit:

Mobilis et varia est ferme natura malorum.

Cum scelus admittunt, superest constantia: quod fas

Atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis

Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit

Damnatos, fixa et immutari nescia. Nam quis

Peccandi finem posuit sibi? quando recepit

Ejectum semel attrita de fronte ruborem?

Quisnam hominum est, quem tu contentum videris uno

Flagitio?

Apparet vero, de duobus, quos diximus vim applicandi modis, eo, qui absolute cogit et impedit, et eo qui nonnisi deterret, hunc alterum multo magis opportunum esse ideoque usitatiorem fore, quoniam raro accidet, ut ei, qui injuriam patitur, vel instantem juste timet, statim occasio et vires sint, adversarium in hunc statum impotentiae corporalis redigendi, ut, etiamsi velit, id quod sibi proposuit, exsequi amplius omnino non possit. Sed dicat aliquis, jam etiam solas minas ad deterrendum sufficere posse. Etiam, sed in statu rerum naturali jam propter hominis inculti sensum, ut ita dicam, callosiorem eas nisi re conjunctas rarissime tale quid effecturas, neque ideo laeso injungi posse, ut tam incertae tutelae salutem suam committat, expositione ut videtur ampliore non indiget.

§. 5.

Insignis tamen quod attinet ad desiderium et modum damni ei, qui laesit, referendi, inter belluam et hominem differentia intercedit. Commune

ut cujus aequae, licet ex plane alia causa, non intersit, bene de eo cives existiment necne.

Ex quo fit, ut in republica bene constituenda providendum quoque esse videatur, ne singulorum opes omnem modum exedere possint. Res procul dubio, ut juste fiat, perdifficilis, attamen maximi momenti et cui per ea, quae prohibitione cumulationis bonorum in eas quas dicunt manus mortuas — rectius universitates appellandas — liberorum semper aequali in bona parentum successione et similibus hic et illic rei adhibita et proposita sunt remedia (Bentham de legibus T. I. pag. 294.) nequaquam adhuc satis curae impensum esse censendum est.

bruto animali cum homine est, ut se suosque defendat, sive ut vi quacun- que sibi suisque conservet et asserat ea, quibus, ut naturae suae suorum- que satisfiat, carere non potest, commune etiam, si non omnibus, attamen nonnullis animalium ceterorum generibus cum homine, ut sicuti ament, a quibus beneficio affecta, ita oderint quoscumque, qui ipsis malefecere, ut- que hic amor et hoc odium non solum ultra tempus beneficii accepti et damni dati perdurent, sed eo usque etiam ad facinora amoris et odio con- gruentia excitent, quosque is, qui benefecit, aut qui laesit, in conspectu quodammodo versatur¹⁾. Singulare vero homini, quod solus mentis dotibus fruatur, proptereaque ei plura quam bestiis ex natura debentur et ad veram generis sui faciem et effigiem perficiendas necessaria sunt, et singulare etiam homini, quod rebus praesentibus adjungit atque annectit futuras, et ad eam rem, de qua hic imprimis agimus, quod attinet, tam beneficiorum memor est, quam praesertim in odio non satis habet, eum, quem odit, odio persequi, quodcumque et quamdiu hic praesens et in conspectu est, verum potius, si quando ipse vel eorum, quos amat, aliquis laesus, vehementi ar- dore et interna quadam necessitate fertur, ei, qui laesit, vel certe laedendi periculum fecit, si non statim, at aliquando tamen dolorem rependendi; nec igitur sufficiat ei hostem abigisse, et in fugam vertisse, sed etiam pro male- ficio commisso, vel intentato tamen, eum praeterea malo afficere aveat, nec solum ad iram ex injuria accepta adhuc recentem satiendam, sed tan- quam per ipsam rerum naturam constitutum sit, ut ei, qui facinorum in de- trimentum alterius susceptorum et tendentium reus est, nisi nunc, ullo ta- men aliquo tempore malum infligi et referri debeatur, hujus rei perficiendae naturale et certum desiderium sentiat, utque propterea ultro etiam absentem hostem quaesitum eat et aggrediatur, et contra eum insidias struat.

§. 6.

Hoc tam amplum et perdurans, nec nisi re, quam agit, peracta satia- tum injuriam perpeccatam retorquendi naturale desiderium ac studium proprio nomine ultionis sive vindictae appetitus appellatur. Cujus ratio quatenus in brutis animalibus locum habeat, nunc primo distinctius videre non absurdum erit. Est profecto belluarum in cibis capiendis iisque conquirendis et e lon- ginq̄o petendis, sicuti in parandis sibi receptaculis magna saepe solertia et quasi humani consilii vis et astutia. Notum lupos aliasque feras in venatione societatem talem inire solere, ut una venentur, sed non omnes eodem tractu cursum in insectatione ferarum instituunt, verum alius alio, atque ita sibi invicem praedas in conspectum et captum adigere, notum aquilam, si animal, quo potiri aestuat, majus est, quam quod alio modo in potestatem suam redigere se posse confidat, tamen, si forte vorago vicina, in eum praedam speratam alarum crebro ictu detrudere atque eam ita vita privare esse sollicitam; notum vulpem non solum sicuti murem cricetum, ursum mel- lem, castorem sibi industria et arte mira domos condere, sed etiam in aliis rebus multa versutia et quasi judicio excellere. Quin imo in manuali histo- riae naturalis, quam dicunt, quod F. P. Wilmsen auctore Berolini 1821. prodiit, legimus quae sequuntur: Curator quidam rei sylvaticae aliquando sub vesperam in sylva vulpeculam vidit operam dantem, ut lignum crassius tenens iterum atque iterum insiliret arbori non parva a terra distantia re- secatae. Insequente vespere eandem invenit eodem modo occupatam. Ob- servavit rem diligentius, et tandem vulpem, cum jam expeditissime simul cum onere in truncum arboris insilire didicisset, laetam abire vidit. Altero die homo noster rursus vulpeculam observatum ivit, eamque nunc quietam et

1) Cicero dicto cap. IV. l. I. de officiis:

„Sed inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accommodat, paulu- lum admodum sentiens praeteritum aut futurum.“

immobilem trunco insidentem reperit. Non multo post vero sus fera cum catulis haud procul a trunco praeteriit, quod simulac factum est, vulpes quam celerrime ex eo desiliit, porcellum arripuit: cumque eo in arborem resiliit: statimque porcellum exanimavit. Sus primum catulo auxilium sed incassum ferre laborans, quoniam vulpes altius sedebat, quam ut eam attingere posset, postquam porcellus clamare desiit, iter perrexit, et vulpes cum praeda lectissima domum abiit.

§. 7.

Eodem modo etiam in ultione petenda animalia bruta sane aliqua peritacia et sagacitate utuntur, sed nequaquam tamen eadem, qua in rebus ad victum parandum pertinentibus aliisque quibusdam. Etenim quis unquam vidit aut audivit canes, qui alias quam maxime amoris et odii longioris capaces sunt, vel vulpes, lupos, et alia animalia, non dico se ab injuria nondum peracta defendere, vel ea quidem perpetrata sed adversario adhuc praesente in eum damni dati recente dolore et ira saevire, vel etiam, cum is a quo laesio illata, postea forte iis in conspectum rursus venerit, hunc aggredi et mordere — sed etiam ultra tempus laesionis perpessae injuriam ulciscendi meditatam contra absentem ejus auctorem consilium inire et occasionem sponte quaerere, atque hujus rei causa inimicum ultro investigatum exire, eique insidias struere. Equidem quotquot libros morum animalium specimina exhibentes mihi evolere contigit, hujus modi meditatae vindictae diligentiam a brutis adhibitam vix ullam cognovi. Quae in brutis animalibus reperitur ultionis persecutio ne tam quidem quam ea quae iis in cibis appetendis solertia inest, absentium quoque memoriae retinet, et consilio ac arte utitur, sed occasionis ad calamitatem molendam consulto quaerendae ambagibus penitus destituta re duntaxat praesente excitari apta et capax est, ita, ut inimico non amplius viso cesset, fieri tamen possit, ut eo rursus in conspectum veniente reviviscat. Placet hujus quoque rei exempla quaedam ex libro illo Wilmsenii, cujus jam mentionem fecimus, huc transferre, atque, cum hic liber non solum titulum prae se ferat describendi mores animalium et juventuti erudiendae sit dicatus; sed et recentiore aetate conscriptus, ejusque auctoris in libro ipso studium manifestum appareat, adferendi omnia, quae ad notitiam animalium succinctam quidem, attamen justam praebendam faciant, non errare videmur, si credimus, quae apud eum legimus vindictae a brutis animalibus sumtae specimina, hujus rei quasi omnem rationem et summam, quae hucusque apparuerit, absolvere. Quae vero ille habet talis ultionis expetitae exempla potissimum haec sunt.

Tavernierus, inquit, narrat, cum in India orientali iter faceret una cum summo terrarum, quae ibi sub ditone Anglorum sunt, praefecto, se in locum venisse, ubi omnes circum arbores plenae erant simiis. Qua re laetus praefectus vehiculum sistere jubet, et Tavernierum rogat, ut unam earum teli ictu feriat. Sed famuli indigenae qui aderant, quibusque animalium horum indoles nota, orabant, ne faceret, quippe simias caeteras interfectarum caedes ulturas esse. At praefectus mentem non permutavit et institit rem poscere. Itaque Tavernierus telum emisit et simiam feminam interemit. Quo facto statim omnes simiae reliquae numero sexaginta furoris plenae ex arboribus descenderunt et quotquot potuere, in vehiculum praefecti insilierunt, eum peremptura, nisi statim fenestrae essent clausae, nec famulorum tam magnus numerus fuisset. Repulsa igitur sed difficillime. Persecutae tamen sunt famulos saltem per tria ex eo loco, ubi simia interfecta est, miliaria. Porro: Rusticus quidam in insula, cui nomen Ceylon, qui ad viam qua elephantum quotidie aquatum duci solebant, habitans, non raro ante aedes suas sedebat, adsueverat interdum eorum uni aliquot folia fici arboris porrigere, quae elephantum valde adamant. Elephantus folia homini ex manu depromebat, quod huic suave. Sed aliquando ei in mentem venit elephantum decipere; itaque saxum foliis involvit elephantoque porrexit, se eum saxo pasciturum, idque elephantum salubre fore per jocum rectori elephantorum

affirmans. Elephantus saxum vix ori admotum abjicit. Elephanti deinde aqutum perrexere, et siti sedata eadem via rediere, in qua rusticus adhuc ante aedes suas sedebat. Cui vero simul ac iterum elephantus ille appropinquasset, arripit eum et in terram dejecit et ita pedibus conterit, ut statim exanimaretur. Cui non absimile et insignius quodammodo exemplum vindictae ab elephanto in India exercitae etiam aliud hoc accidisse dicitur.

Elephantus cum aqutum duceretur, in itinere officinam sartoris, ut in India mos est, apertam et sartorem in ea sedentem praeterire solebat. Factum est ut hic elephantum perdiligere occiperet, atque ideo praetereunti quotidie cibi aliquid ex officina porrigere assuesceret. Sive vero, quod hoc munus quotidianum tandem ei molestum esset, sive malitiae cujusdam insania correptus aliquando muneris consueti loco elephantum proboscidem ad cibum arripiendum porrectam acu perforare ausit. Elephantus nulla commotionis signa edens proboscidem reducit, et iter pergit; verum cum sitim deinceps sedasset, tantum praeterea proboscide aquae hausit, quantum ea capere posset, et iter remetiens sartoremque rursus praeteriens subito omnem hanc aquam in ejus faciem emisit, ita ut parum abfuerit, quin suffocaretur.

Haec res si vere ita accidit exemplum sane praerberet consilii de injuria accepta vindicanda non tantum laedentis praesentia exciti, sed etiam absente eo a bruto animali initi et deinde ad propositum executi; sed, praeterquam quod res an ita, ut diximus, acta sit non certo auctore constet, etiamsi ea sic, ut relata est, omnino evenerit, tamen, ut est in proverbio, una hirundo veris adventantis nondum certa nuntia est; et porro, si vel plures narrentur belluarum eodem modo res gestae, jam hoc ipsum, quod semper eas ut mirum aliquid et prorsus singulare ab narratoribus proferri vides, satis probat, nemini ne in mentem quidem venire arbitrari, talem injuriae acceptae remunerandae modum alicui animalium brutorum generi consuetum ac soleane esse.

§. 8.

At enimvero in homine res sese plane aliter habet. Ei damni dati meditatae retorsionis morem et acre ac tenax studium non arte et educatione duntaxat, sed potius natura ipsa inesse, eumque fere aeque ac famis et sitis et venerae libidinis explendarum etiam ultionis sumendae naturali quodam impetu ferri, documento jam esse videantur mores puerorum etiam eorum, quibus simplicitas naturae adhuc integra. Nam hos jam, atque ut modo dixi, non solum malos sed etiam probos saepissime, si injuria affecti, eam rependendi et vindicandi jus quoddam sentire, et contendere, ac, nisi inhibeas, exercere etiam, quis est qui nesciat. Quapropter vix credendum esse qui dubitent, hanc ultionis legem ipsi naturae humanae insitam ab eaque praescriptam esse. Ad illustrandam tamen materiam non a re alienum videtur, quaedam huc pertinentia in primis e moribus gentium ferarum ac barbararum depromere et commemorare, ut quae nondum ad sentiendum et vivendum illam vitae cultioris artificiosum morem effictae, et quasi incunabulis humani generis propiores, quid ejus sincera natura prae se ferat et poscat, nos optime edocere posse videantur.

Descriptio terrae americanae ejusque populorum, quam vir vita et fama inclutus Augustus Ludovicus Schlözer Gottingae 1777. germanice edidit, de Indis Canadensibus haec habet. „Lites eorum celeriter finitae, nam desunt iis tam artes quam copiae ad reddendum eas ambiguas et longas. De criminibus, si majoris sunt momenti, a senioribus statuitur, si minora, aut laesus ipse ea ulciscitur, aut res per arbitros transigitur. Si homo occisus est, ejus propinqui homicidae rursus interficiendi occasionem quaerunt, eoque peremptum iterum ii, qui cum eo, qui posterior caesus, sanguine conjuncti sunt, et qui nulla habita ejus ratione, quod ab ipsorum parte pax primum infracta est, se etiam laesos, et sibi rursus ultionem sumendam esse credunt. Saepius tamen res transactione componitur; is qui deliquit, se ab-

scondit, ejusque amici ad propinquos interfecti hominis mittunt, qui rei peractae poenitere denuntiet, et munera offerat, quae raro recusantur. Tum princeps familiae ejus, qui latet, in medium procedit et singulatim munera, quae promissa sunt, et quorum numerus interdum sexagenarius est, tradit, hanc traditionem oratione ornans et inter alia hujusmodi verbis utens. „Hoc munere securim a vulnere removeo, hoc alio manantem sanguinem sisto“, et ita symbolice omnes homicidii peracti partes singulatim tollit et extinguit. Si caedes a consorte ejusdem familiae perpetrata est: contubernali- bus de ea re inter se finaliter decidendi plenum jus est, sive velint noxium morte punire sive ei ignoscant, sive eum condemnent et cogant, ut uxori ac liberis perempti remunerationem rei adaequatam faciat. Omnia haec sum- mus populi senatus tanquam ad se non pertinentia intuitur et patitur. Cum Indi ex indole naturae suae ultionis valde cupidi sint, nec in ea re dei metu cohibeantur, fit, ut minimae res eos ad arma sumenda et vulnera caedem- que excitent. Saepe ob controversias parvi momenti et privatas in certamen et proelia inconsulta imo inscia populi concione ruunt“. Etiam apud Tacitum de moribus veterum Germanorum ita legimus. „Suscipere tam inimi- citias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est. Nec implacabi- les durant, luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum nu- mero, recipitque satisfactionem universa domus, utiliter in publicum, quia periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem.“

Porro: Praefectus navis, Marion nomine, cum sedecim nautis anno 1772. interfectus est ab incolis Novae Selandiae, eaque de re in libro qui Biblio- theca itinerariorum inscriptus Francof. et Lipsiae anno 1785. prodiit vol. VII. commemoratur Croizetium qui post caedem Marionis imperium tenuerit navis Mascarin dictae, et res sub ejus ductu gestas litteris mandaverit, re- lata ea caede in haec verba quidem erumpere: „cum reputo hos incolas per triginta tres dies amicissime nos tractasse, eo fine, ut die tricesimo quarto nos interficerent, non possum non arbitrari, non esse in terrarum orbe ho- mines majoris perfidiae quam barbaros istos; nam certum est, nos ne mini- mam quidem causam hostilitatis iis dedisse“; sed eum, qui Croizetii narra- tionem postea publicaverit, addere et censere, perfidiam a barbaris contra Marionem ejusque comites commissam non fuisse nisi ultionem crudelitatis, quam duo anni ante illi barbari perpessi sint a sociis navalibus sub imperio cujusdam de Surville. In ephemeridibus vero a Hanke editis historico-politici- s voluminis VI. parte 4. haec scripta legimus: „Cum Consalvi anno 1818. esset Terracinae, animum advertit ad regionem ei vicinam, cui nomen Son- nino est, atque terras adjacentes, ubi affectus tales iique mores, quibus sic- cariorum vita praedatoria alitur et promovetur, maxime praevalent. Pactus cum praedonibus est, ut se ad captivitatem annuam sisterent, postea vero publice iis praeberentur, quae, ut vitam innocuam degerent, iis opus. Ita praedones Sonnisenenses, trium plaustrorum justum onus, ut per annum in custodia essent, Romam venerunt, et in iis etiam Masocco famosissimus eorum. Tantum Cesari quidam cum turba 14 hominum supererat, sed et is deinde de deditione agere coepit, tandemque, ea conditione venia ipsi concessa, de traditione comitum suorum pactum iniit. Masocco, per quem omnis ea res ita transacta, statuto tempore et loco cum copiola armatorum praesto fuit ad accipiendos praedones ei ex pacto tradendos. Verum Cesari, cum appropinquasset Masocco cum illis hominibus, denunciavit ei, necesse esse, ut solus veniret, ne suis suspicio exoreretur. Masocco confisus homini non dubitavit ejus consilium sequi, sed paululum modo deinde progressus peremptus est telis ex loco densis fruticibus obsito emissis. Quod facinus dira rerum immutatio insecuta est. Caedis ultoriae morem per Albanenses in terras Neapolitanas introductum ferunt, indeque magis magisque in regiones adja- centes irrepsisse, sed potius cum latronum sicariorum vitae conditione per ipsam rerum naturam conjunctum credas. Quae utut sunt, certum est, non saepe caedem hominis illa Masoccoonis magis crudeliusque vindicatam esse. Statim prima adhuc ira fervescente vetus ejus contubernalis et amicus Ama- rini cum commilitenum manu ad vicum iter instituit, ubi habitabat familia

Cesarii, sed jam in via haec, sex feminae, ipsi obviam facta est, sub ductu praefecti militaris, cui eam in locum tutum abducendam, ut videtur, magistratus, rem quae postea evenit veritus, mandaverat. Deposcenti ac nisi dedantur vim minitanti et iterata vice quaerenti, num miles romanus liberos latronis armis defensurus esset, praefectus tandem mulierculas miseris permisit, et Amarini eas non amplius uno milliari inde abductas omnes sex trucidavit, atque ipse deinde judici se tradidit. Cesari in hujus rei vindictam hominibus nonnullis in vico, cui nomen Prasside, interfectis in terras Neapolitanas aufugit. Inde tamen postea reversus est, et accidit, ut aliquando etiam Prassidem et in eum locum veniret, ubi ejus familia trucidata. Quo simulac animadverso, furore caeco correptus, nec, cum mulierculam rusticam conspexisset, quanam illa, aut ubi ipse, reputans aut curans, statim eam invasit fugientemque persecutus est, antequam tamen ea potiretur a milite romano forte vicino intererentus.

§. 9.

Annalium Dorpatensium de statu litterarum, artium et rei publicae imprimis apud Russos libr. I. part. 4. de civitatibus liberis montis nigri, Polizzae et regionum finitimarum haec leguntur. „Si quis sive consulto sive fortuito occisus, caedem peractam caede ulcisci in civitate Montenegrina et apud omnes gentes Slavonicas ejus regionis maximo in usu est, ejusque rei non solum jus esse, sed ad eam omnes propinquos occisi tanquam sacrosancta obligatione obstrictos credunt¹⁾. — Verum tamen de caede ultoria transigi potest, quamquam decet nonnisi supplici et sub conditionibus ultionem remittere. Semper ea manet eum, qui in exilium abit et cui deinde a suis jus familiae renunciat et adimitur, ne ipsi ultioni subjaceant. Sed qui tantummodo, ne recenti statim irae expositus sit, se abscondit, ei propinqui interim pacem petunt. Si ea de re agere conceditur, ad expiandam caedem commissam et ad pacem reconciliandam certus dies statuitur. Vingtiquatuor iudices ad hanc rem electi sententiam ferunt. Reus telum, quo facinus peregit, collo affixum habens iudicum consessui genibus adrept, supplices preces denuo de pace et venia ipsi concedenda proferens usque eo, dum ultor caedis eum e terra tollit et in brachia recipit. Has contumelias subire Slavoni monticulae pergrave est, ut qui inimicitias in se excitare contemneret, nisi omnis ejus familia ex eo periclitaretur. Praeterea etiam pax magni constat. Multa plerumque 120 nummorum aureorum dicitur praeter alios sumtus. Iudicum conventus et forma iudicii primam nihil aliud fuisse videntur, quam coitio partis laesae omnium eorum, qui arma ferre possent, paulatim vero res in rationem et modum iudicii arbitrarium abiit. Ad homicidium peragendum sententia duodecim vulnera sanguinolenta inflicta praesupponit, quodque eorum decem nummis aureis aestimans. Minoris constat, si quis hominem quidem graviter vulneravit, nec tamen interfecit. Lites ad jus civile pertinentes similiter iudicio arbitrario dirimuntur. Quaeque pars unum vel duos arbitros nominat eorumque laudem se paritaram compromittit. Sententiae aut viva voce aut scriptis eduntur; quando vero aliquis ad arbitros ire vel eorum sententiae se submittere recusat, rei finiendae non aliud est remedium, quam vindicta privata, et ut pars refractaria dicto obediens se praestare damnis illatis per vim cogatur. Quae res deinde ad familiarum earum, quarum interest, bellum intestinum redundat, tam diu duraturum, quamdiu ambas partes ejus non taedet. Ita apud istas nationes omnis res poenalis adhuc juris privati est, nam si raros casus exemeris, ubi publice poena infligitur, omne scelus conventionem et reconciliationem privatorum transigitur, vel ultione privata vindicatur et abolitur.“

1) Sicuti etiam C. Spindler in Fanatico ministrum eubularium matris principis ita dicentem inducit: ex patriae meae moribus contra offendentem omnia licita et contemptu dignus habetur, qui, cum arma ferat, injuriam tamen ulcisci non audeat.

Nec solum apud homines barbaros ultio in usu, cultioribus quoque non omnis ignota nec ab eorum moribus penitus abhorrens:

Cicero de officiis Lib. I. cap. VII.

„Sed justitiae primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria“ et porro:

„Atque illae quidem injuriae, quae nocendi causa de industria inferuntur, saepe a metu proficiscuntur, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne, nisi id fecerit, ipse aliquo afficiatur incommodo.“

Tacitus initio histor. Libr. 14.

„Capuae legio tertia hiemandi causa locata et domus illustres afflictatae, cum contra Terracinenses nulla ope juvarentur. *Tanto proclivius est injuriae quam beneficio vicem exsolvere, quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur,*“ et deinde: „Helvidius Priscus — ruina soceri in exilium pulsus, ut Galbae principatu rediit, Marcellum Eprium delatorem Traseae accusare aggreditur. *Ea ultio incertum major an justior, senatum in studia diduxerat.*“

Juvenalis sat. XIII. v. 180.

„At vindicta bonum vita jucundius ipsa.“

Walter Scott in fabula, cui titulus „The Heart of Midlothian“ Tom. III.

„Aequae reginae, ac ii, qui sub earum imperio sunt, ultionis sunt cupidae, quippe quae res tam regnantium quam servientium palato accepta ac dulcis est.“

Herder in libro qui inscriptus est: *Studia quaedam historica ad indagandam rerum humanarum naturam et vim* T. 2. lib. XIV. No. IV. inquit:

„Rerum gestarum remunerationem et ultionem reddi, naturae aeterna lege sancitum et justum est.“

Pufendorff de officio hominis et civis cap. III. §. 2.

„Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, quibus sensus sui inest, ut se ipso nihil habeat carius, se ipsum studeat omnibus modis conservare, ut quae bona sibi videntur, acquirere, quae mala, repellere nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus est, ut reliqui omnes eidem cedant. Et quicumque hominis salutem impugnatum it, eum non potest non iste aversari, eo usque, ut etiam depulso malo intentato plerumque odium, et cupiditas vindictae adhuc remaneat.“

Quin etiam totos populos quod attinet, si eorum alicui ab alterius hominibus injuria gravis illata, verbi causa violato sacrosancto legatorum jure hi interfecti, quis est qui dubitet populum laesum, si non alio modo sibi satisfiat, talem injuriam armis ulturum esse, et ulcisci debere.

Livii historiar. lib. 5. c. 27.

„Quae ubi Camillus audivit inquit — Arma habemus adversus armatos et ipsos, qui *nec laesi ne lacessiti* a nobis castra Romana ad Vejos oppugnarunt.“

10.

Quorsum haec omnia, quorum collectionem multa alia similiter actorum dictorumque copia augere et amplificare sane non magni laboris foret? — scilicet, ut, non dicam demonstratum, nam demonstratione profecto non eget, sed expositum et manifestum sit, ultionem non factitium aliquid et monstruosa quadam morum depravatione introductum, sed naturalem et aequae ac victus aliarumque rerum similium appetitum animantibus, praecipue vero homini, ingenitam et naturae ipsius lege permissam, imo ita praescriptam esse, ut ad eam quasi necessitatis alicujus impulsu feratur¹⁾. Verum cum homo sit ratione praeditus, neque quidquam ei inesse possit modo cum hac ratione non congruente atque ad eam ille cuncta agere et conformare

1) Sicuti etiam, ut notum est, verbum ipsum vindicare idem asserere sibi suum et debitum, ac ulcisci significat.

debeat, haec vero ratio humana ¹⁾ in omni hominis actione exigat, ut ea certum nec reprobatum finem habeat, ad quem convenienter instituat, secundum illud:

Quicquid agis prudenter agas et respice finem ²⁾, consentaneum est, etiam ultionem, ut humana sit, majus aliquid continere et ex sua indole ad rem ampliore melioremque vergere, quam ut solummodo irae et odii diris et coecis furoribus explendis subserviat, quin etiam in qualitate et ambitu eorum, quae ulciscendi gratia adhibeantur, justum modum excedere et ultra id, quod facere pro fine ultionis naturali vere necesse est, grassari eo minus debere, quia in ultione id agit, ut ejusdem naturae consortem malo afficiamus, atque id, quod ultionis limites transgreditur, non justa damni dati retorsionis moderatio, sed nova potius injuria esse videatur, quae adversae iterum parti vindictae sumendae causam praebet. Is vero finis, qui ultioni natura propositus est, licitus ideoque huic naturae conformis nec ei contrarius esse debet, nec igitur alius esse potest, quam qui hanc naturam in homine adjuvet: et cum porro vindicta laedentem malo onerans et ita laesionem aperte et quam maxime reprobans hac ipsa sua indole manifeste prae se ferat, se id praecipere atque eo tendere, ne laesio sit, luculentum quoque est, ultionem ad eam adjutorii humanarum facultatum naturalium partem, cujus est tollere et prohibere quodcumque, ne istae humanae facultates conserventur et augeantur, officere et impedire queat, sive ad defensionem pertinere. Sed verbo se defendendi tamen, latiori ejus sensu, non ea sola intelliguntur, quae ultionis causa fiunt, sed omnia, quaecumque, damnum nobis alicunde, sive jam aliquid in eam rem actum sit sive non, imminere credentes, adhibemus ad efficiendum, vel ne ea res, quae nobis nociva futura est, accidere omnino possit, vel ut, si hoc non liceat impedire, simus tamen contra pericula timenda, cum ea deinde re vera locum habeat, bene muniti; verbum ultionis vero partim non pertinet nisi ad defensionem a damnis quae ab animantibus metuuntur, partim etiam duntaxat ob facinora ipsa, non jam ob cogitationes facinorum vindictae locus est, sive ultio ex genuino hujus vocabuli sensu et usu nulla est nisi rei jam aliquatenus actae et sceleris cujuscumque si non absolutae at inchoatae tamen quodammodo et aliqua ejus parte perfectae executionis. Sed ut ad propositum redeamus, profecto ultio quoque quaedam defensionis est species et recte adhibita ad eam rem omnino utilis. Ex quo consequitur homini si non omnem quidem, eam certe natura permissam imo praescriptam esse ultionem, qua opus habet ad defendendas necessitates suas naturales — ut sic uno verbo complectar, quae natura modo certo et urgenti efflagitat, sive quae nisi habeat et facere potens sit homo, non aliquo justo modo naturae suae rationem explere, ac talis esse et fieri possit, qualis ut sit et qualem ut se exhibeat evidenter factus et a Deo optimo maximo creatus ac desti-

1) Hanc dotem ingenii non brutis sed solis hominibus concessam jam ejus vocabula tam latinum quam germanicum (ratio sicuti Verstand, Vernunft, posterius a vernehmen) inducunt, ut dicamus esse intelligentiam, quid in unaquaque re agi et appeti oporteat, et quae eorum quae agantur, cum ea re sit relatio et conjunctio, ex quo intellectu deinde facile voluntas et consilium enascitur tam appetendi id quod naturae consonum, quam ei assequendo eos tramites ineundi et persequendi, qui vere eo ducunt. Instinctus contra (Trieb) est, cum aliquis ad rem aliquam certis modis petendam fere solius naturae stimulus et quadam necessitate fatali impellitur, forte etiam ne sibi quidem conscius quid agat et quo tendat, sicuti nescius, quae eorum, quos ad eam rem consequendam modos adhibere natura adigitur, cum illa connexio et cognatio sit, quae jam sola ignorantia omne in ea re liberum arbitrium et voluntatem excludit. Constat etiam a homine non omnem ex instinctu agendi modum esse alienum. Nam ut de prima infantiae aetate taceam, ipsa ratio humana in eo instinctus vi in nos utitur, quod quae ex ea ad cogitandi naturales leges vera sunt, non possumus non saltem in rebus agendis pro veris habere.

2) Hoc verbo finis ita sumto ut non exitum rei sed rem ipsam et id quod in ea consequi laboratur, significet.

natus est. Est vero, ut jam accuratius omnia ea comprehendamus quae vera ultionis licitae natura et ambitu continentur, ultio sive vindicta naturalis quaedam hominis potestas et obligatio, cum aliquis laedere conatur ac inprimis, quando jam laesit, et ita periculum est, ne non nos nostrique salvissimi atque ea habeamus, quae ut habeamus ex hominis natura opus est, taliter adversanti damnum ejusmodi inferendi, quod, quando laesio nondum perfecta sed incepta tamen, ad ipsam eam impediendam efficax, si vero ea jam peracta, tamen utile esse videatur, ut laedens aliique deterreantur a reiteratione similis injuriae, ita vero, ut hac in re summam et modum ei assequendae necessarios excedere vetitum sit, quamquam terminus, intra quem ultionem petere liceat, nullus definitus, sed ea laeso homini permessa, quodcumque ejus occasionem repererit. Ulciscendi affectum hoc modo intellectum a natura proventum et licitum, sed hominis proprium esse, ex eo quoque colligas, quia, primum quod attinet, cum quis aggressor est et laesit prior, sane non fit injuria, si ab eo te defendendi causa eum rursus laedis: Publ. Terentii Eunuchus in prologo:

Tum si quis est, qui dictum in se inclementius

Existimavit esse, sic existimet,

Responsum, non dictum esse, quia laesit prior,

atque, cum ex laesione tibi oblata juste suspicionem capias, non modo ipsum illum, qui laesit, si nihil damni ei exinde redundarit, in posterum ad malefaciendum etiam fore paratiorem, sed quia in omni laesione a laedente rei alicujus gratae retentio sive possessio vel alicujus alius sensus grati perceptio petitur earumque rerum, si sine proprio incommodo habendae, etiam plures appetentes facile existant, illius exemplo alios quoque ad laedendum excitatum iri — nihil etiam nisi justam tui defensionem agis, si eos omnes a talibus facinoribus deterrendi causa aggressorem eum in finem malo afficis, ut edoceas, quemcumque, qui postea te laesurus sit, ex eo, etiamsi successerit, nisi statim, ast olim aliquando tamen amarus fructus percepturum, neque igitur beatiorem sed revera miseriorem futurum (§. 4), modo in hac re intra defensionis justos limites consistas, sive tam in genere mali adhibendi quam in ejus summa ad rationem rectam, quae vult ut quicquid suo finē accommodatum et proportionatum nec exuberans sit, veriseris.¹⁾ Deinde vero id, quod diximus, ultionis verae exercitium et usum hominis esse proprium et humanam rationem supponere, et sic ex ea ortum et principium habere, praeter ea, quae huc pertinentia jam supra monuimus (§. 6. sq), etiam in eo nititur, quod in bruto, si ei interjecto tempore malum illatum rependis, plane ejus rei, quod hoc fiat propterea, quoniam te olim laesit, perceptionem et intellectum omnem cessaturum credendum sit, nec etiam cum belluis, ut cum quibus loqui nequeas, hic intellectus communicari possit, ideoque vindictam, quae ut vidimus, principali sua ratione id agit, ut etiam malum postea et multo forsitan tempore interjecto relatum a maleficiis deterrendi vi et effectu haud careat, contra bruta usurpare nullius foret usus. Est igitur ultio defensio laesionis non vero laesionis praesentis sed futurae, et qua talis licita et hominis propria atque quo verior singularis naturae hominis est suboles, eo magis rationis humanae praeceptis obnoxia.

§. 11.

Cum autem per statum hominis naturalem intelligamus eum, in quo quisque restrictus est ad ea, quae suis solis viribus efficere potest, contra vero, in quantum viribus pollet, nullam actionum suarum legem nec mode-

1) Cicero de officiis lib. I. cap. XI. Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus atque haud scio, an satis sit, eum, qui laceraverit, injuriae suae poenitere, ut et ipse ne quid tale posthac, et ceteri sint ad injuriam tardiores.

ratores praeter suam ipsius mentem et voluntatem agnoscit, suapte perspicuitate manifestum est, quantopere homini in hujus status naturalis imbecillitate et hostilitate viventi et cujus propterea, ut ad modum Sternii loquar, manus semper erectae contra omnes et omnium manus erectae contra ipsum — sit difficile et paene impossibile ea sibi habere, quibus ad sui suorumque et conservationem et ad facultates rite excolendas opus habet, quamque ei adhuc difficilior, se suaque adversus aggredientium improbitatem et vim defendere, et in hac defensione deinde justum modum tenere, praesertim cum in exiguis singulorum viribus nulla fides, ultionem maleficum scelus reiterantem etiam iterum ferituram, et propterea, si cui justae ultionis causa malum illatum, hic facile eo tanquam injuria sibi inflictata magis ad laesiones alias excitetur, quam ex eo metum capiat, et ab injuriis faciendis in posterum deterreatur (§. 8.): ita fit, ut homines jam ex indole ingenitae iis ejus rationis, quae quicquid agas id prudenter agere et finem in eo respicere jubet, naturaliter quoque propensi esse debeant ad societatem eum in finem inter se conjungendam, ut sibi invicem parent et custodiant, quae ad vitam ejusque plenum usum unicuique sunt necessaria. Itaque jam Cicero lib. I. c. 4. de officiis ait:

„Natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem ingeneratque imprimis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, impellitque, ut hominum coetus et celebrationes esse et a se obiri velit; ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum et ad victum nec sibi soli, sed conjugii, liberis, ceterisque, quos caros habet tuerique debeat.“

Sed, ut ejusmodi societates sociatis re vera praestent quapropter constitutae, scilicet certiores et majorem earum rerum copiam ac usum, quae vitae humanae recta ratio exigit, non amplius fieri debet et ferri potest, quemque rem quamque solum agere et suo duntaxat in ea iudicio et arbitrio uti, cum haec talis indefinita libertas et singulorum tam debilitas quam licentia ipse ille status naturalis sit, cujus evidens insufficientia et perniciosa qualitas homines in vitae socialis statum, vim et ordinem perpulerit. — Inde sequitur ratione quoque humana desiderari societate tali inita, in quantum ejus consilio et intentione requiratur, homines in rebus agendis et in non agendis moderamini et legibus fieri subjectos, sive obstrictos, partim in rebus ad societatem pertinentibus vires cum sociis conjungere, partim vero, quando hoc potius ex re foederis est, in usu virium propriam libidinem temperare, imo etiam ex re penitus abstinere ¹⁾. Quod posterius imprimis in rebus

1) Si non plane ad rem nostram pertinens ab ea tamen non prorsus abhorreere crediderim, hoc loco paucis quoque attingere, num ad defendendas augendasque opes et facultates humanas societatum talium ineundarum ratio necessario desideret, ut socii habitatione contigua juncti vivant et discreti ab aliis. Quod non videtur; sed propositi socialis adsecutionem valde impeditum iri eo, si alienae societati addictorum ideoque ad alium finem tendentium multitudo sociis immixti habitent — quod statum in statu appellat — facile patet, sicuti periculosissimum fore, si multi immixti, qui fere commodorum ex consociatione provenientium plane expertes incommodis tamen ejus, scilicet libertatis naturalis imminutioni et coacto in usum aliorum labori etiam sine modo subjecti sint, qui servire dicentur. Etenim licet in universum, quae ejusmodi sors et vitae conditio, magis in eo vertitur, quid in re ipsa quam quid in promissis habeat, atque ob eam causam, ut vita nobis tolerabilis sit, non tam id agitur, quomodo ex jure tractari debeamus, quam quomodo revera tractamur, proptereaque, quamdiu populi alicujus morum et rei familiaris ea ratio est, ut domini plerumque servis utantur ut mercenariis, sicuti Cicero de officiis lib. I. cap. 13. praecipit, operam exigant, justa praebeant, non multum interest, an, si minus iis praebeatur, publice se adjutum iri ad justa consequenda spe et legitima certitudine servi gaudeant, necne; attamen si iis nulla aut saltem insufficientis in rebus suis publica defensio est, in iisque penitus ab arbitrio dominorum dependent, praeterquam quod hoc arbitrium tanquam voluntas et iudicium in propria causa per se lubricum et anceps est, tunc certe, quando per morum ferociam vel rei domesticae angustias domini magis inclinati ad servos injuste tractandos, hi non

ad vindictam privatam pertinentibus locum habebit: nam ejus ratio ea est, ut, quicumque sit is, qui nos laesit, eum ipsi potissimum nos tanquam iudices in propria causa malo afficiamus. Sed iudex in propria causa praesertim dolore et ira provocatus non is est, a quo praecipue iudicii aequitatem et continentiam expectes, praeterquam quod, si laesus ex solo proprio ludibrio et nullo in ea re consilio et consensu sociorum adhibito ultionem exsequatur, parum etiam hic in ea re auxilio sociorum confidere posse videatur, si deinde is, contra quem ultio peracta, et qui forsan ea se potius laesum existimet, iterum ultorem aggrediatur; ex qua etiam causa ultor privatus prior esse debet, statim prima vice, major minorve laesio sit, eum a quo laesus, eo reducere, ut nulla ei amplius facultas nec vires supersint, etiamsi velit, in posterum iterum laedendi. Ita fit, ut tam ultor privatus nequaquam sit is, a quo in vindicta sumenda justum modum expectes, quam ejus in hac re excessus sive contra socios sive contra extraneos ex ultionis ipsius natura, quae in nocendo consistit, in perniciem sociorum multorum evasuri sint praesertim, extraneos quod attinet, quando et hi cum aliis societate sint conjuncti, eorumque socii iram de ultione suo socio inflictam concipiant, eamque, quod fieri possit, non solum contra ultorem, sed etiam contra ejus socios vertant (§. 8.).

§. 12.

Itaque quamdiu sociis suum cuique naturale jus injurias suas vindicandi liberum ac integrum manet, societas non potest esse firma nec stabilis, tantum abest, ut eam vim habeat, eamque opem praestet, cujus alioquin capax et ad quam praebendam inita est. Documento est status rerum apud nationes barbaras atque etiam populos Europaeos medii aevi. Simulac ergo homines e statu naturali in socialem aliquem transeunt, sive mutui adjutorii utilitate et dulcedine intellecta sponte in eum concedentes, sive vi aliena, ut vires consociant, coacti, non potest non tam eorum, qui societatem inter se pacti sunt, quam eorum, qui cum ipsorum viribus etiam suas conjungere alios vi perpulerunt, prima cura esse, ut vindictae privatae modus statuatur. Nam etiamsi ponamus domitores hos in hac re nihil aliud egisse, quam ut devictorum viribus cum suis conjunctis ipsi essent potentiores, tamen tale jam domitricis violentiae consilium ac finis, ejusque assequendi studium permittere recusat, ut ii, quos secum in societatem adegerunt, per vindictae privatae bellum intestinum vires suas impeditas habeant atque effundant. Et deinde homines, quos, ut vidimus, ipsa natura ad societatem contrahendam admonet et impellit, si ad eam rem tardiores, forte non inique quidem in vitam socialem adiguntur; attamen sine maxima injuria non ut pecudes sed duntaxat ut homines in consortium cogi in eoque retineri poterunt, nam

solum saepius expositi erunt iis indigere, sine quibus ut sint contra naturam est (§. 2.), sed etiam deinde servis contra has injurias nullum aliud nisi ex se ipsis auxilium erit, ita ut male habiti contra dominos eorumque conjunctionem in statum defensionis naturalis ejusque omnem ambitum reducti, et ad hostilitatem contra eos perpetuam ipsa natura ejusque quasi impulsu ferri et excitari et omnis dominorum rei tam publicae quam privatae evertendae et delendae occasionem semper anhelantes censendi sint. Qui vero lubricus et incertus rerum status futurus sit, quando magna multitudo hostium tam infestissimorum, et qui jure tales esse videantur, cum sociis sive civibus et iis inmixti habitent et vivant, res ipsa docet, et experientia quoque confirmatur; nam historia populorum, a quorum moribus conditio servilis non aliena, passim exempla malorum maximorum exinde enatorum praebet, praecipue vero historia populi romani, et ipse C. Plinius Secundus in epistola, quam ad Acilium de caede Largii Macedonis a servis suis perempti scripsit, exclamat:

„Vides, quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii. Nec est, quod quisquam possit esse securus, qui sit remissus et mitis; non enim iudicio domini, sed scelere perimuntur.“

Quamquam apud Romanos frequens emancipationis usus, et emancipatorum in jus Quiritium transgressio multa tamen spe servilem conditionem adlevabat.

sunt homines nec pecudes; non solum autem ratio naturae humanae non patitur homines adultos et suae mentis compotes ita in potestate alterius esse, ut ne ea quidem libera habeant, quibus, ut naturam suam absolvere queant, iis opus (§. 2.), sed porro etiam, cum homines omnes ejusdem generis et naturae sint, et propterea homo quisquis tantum in suam et si quos habeat, liberorum suorum, non vero alterius hominis utilitatem proxime videatur natus et factus, non apparet, quo jure homo aliquis ab altero naturae jure sibi aequali operam et adjutorium exigere possit, nisi quatenus id in remunerationem et compensationem eorum sit, quae ipse in illius utilitatem praebat; atque hoc modo illae operae ab eo, qui eas praestet, revera in suam ipsius etiam utilitatem conferantur et impendantur. Ex quo efficitur, ut etiamsi homines coacti in societatem coierint, tamen ita quoque coactorum viribus aliter atque in communem omnium salutem et utilitatem uti, iis qui coegerint, nequaquam aliquod jus et legitima potestas sit, quamquam nihil impedit, quin eorum, quae communi opera parantur, unus et alter majorem partem juste capiat, quoniam manifestum est, non omnes, qui societate una alterave ratione uniti sunt, tam facultate et industria in rebus agendis, quam deinde rebus gestis et in civitate ad rem communem sive publicam pondere pares quoque futuros esse, et potius, ut quisquis illorum eam partem habeat, quae pro meritis et dignitate ejus est, aequitas naturalis postulat; sicuti etiam, quoniam societatis ineundae hominibus nulla alia naturalis ratio nec norma est, quam ut ea, quae ad vitae rectum usum necessaria singuli adipisci nequeant, junctis viribus assequantur, natura non praescriptum, nec definitum, cui potissimum ejus rei regendae et efficiendae potestas ac imperium competat et deferendum¹⁾. Sed certum est, quemcunque qui tale imperium teneat, id in communem utilitatem exercere debere, quod Cicero de legibus libr. II. cap. V. ita exprimit:

„Constat profecto ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam et beatam inventas esse leges eosque, qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque honeste beateque viverent, quaeque ita composita sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos qui perniciosas et injustas populis jussa descripserint, cum contra fecerint, quam polliciti professique sint, quidvis potius tulisse, quam leges.“

§. 13.

Verum quotquot rei publicae inde damna emergunt, si non vindictae justus modus statuitur, recte tamen ea adhibita etiam societate inter homines contracta sive civitatibus constitutis ad omnes humanas res utilissima est. Nam societatum talium hic in primis etiam finis, ratio et lex suprema est, ut injuriae debeantur reprimi (§. 11.) sive cura haberi et provideri, ne quis audeat alterum iis privare neque in iis eum impedire, quae ei ex natura sua salva et libera sint, oportet (§. 3.) atque profecto etiam hominibus societate conjunctis, nisi unicum, at efficacissimum certe huic rei remedium est id, quod vindicta recte adhibita ad deterrendos improbos ab injuriis faciendis naturaliter praestat (§. 4.). Non igitur eorum, quibus societatem ad finem suum perducendi obligatio est, quique, quae ei rei utilia, potius conquirere, quam ultra se praesentia respuere et negligere obstricti, hoc erit officium, ut omnem vindictae usum inhibeant, et e civitate tollant, sed is retinendus potius, verumtamen ita constringendus et regendus, ne sit

1) Haec enim potius ad juris publici prudentiam cautelarem pertinent — nostratibus scientiam politicam dictam — quae non jam hominum prima natura definitur, sed etiam populorum tam res hucusque actas, visas, et perpessas, quam eorum omnem rationem praesentem amplectitur ac respicit, quaeque pro populi cujusvis diverso statu et rerum omnibus conditionibus etiam diversa statuit et eligit.

noxius, sed ut revera eam utilitatem et opem praebeat, quam praebere potest, et ad quam praebendam natura ipsa praeceptus est et constitutus (§. 10.). Quod utrumque vero cum effici non possit, nisi ii, qui libero foedere in societatem coiere, vel qui per vim eos in societatem adegere, eam omnino vindictam, quae a privatis exercita in commune periculosa ac noxia, interdiciant quidem sociis singulis in unionis jus contractis et prohibeant, sed eorum loco eam, in quantum justa et salubris est, a se ipsis publico consilio exercendam et exsequendam suscipiant, quid simplicius, quam hoc quoque ita evenire et constitui, quod deinde, quod melior et absolutior societatis modus et ordo tractu temporis evaserit, tandem eo deveniet, ut omni saltem ultione privata interdictum sit, quae ad damnum aliqujus majoris momenti inferendum directa, hujusque omnis ultionis moderamen publico soli regimini et executioni traditum sit et reservatum ¹⁾.

§. 14.

Ita jam ad poenae ipsius ortum et fontem vel potius ad totius figurae ejus aspectum pervenimus. Etenim, sicuti ultionis privatae, ita etiam poenae ratio est, ut aliquis malo afficiatur propterea, quoniam ipse prior laesit, vel laedere tentavit (§. 1.), nec credo fore, qui adhuc dubitet, in poena aequae ac in ultione hanc relationem non ideo duntaxat fieri, ut referatur, sed quoque et principaliter eum in finem, ne locum habeat quod nunc sive primo sive iterum maleficium intentatur, id est in defensionem a laesione futura fieri, praeterea quoque poenam aequae ac vindictam modum rei necessarium non excedere debere, ex quo manifestum est, inter ultionem privatam sive primitivam et poenam non aliam intercedere differentiam, excepta ea, quod prior a privatorum pendeat arbitrio, haec vero posterior non nisi publice sive iis competat, qui hujus rei exsequendae speciali potestate in societate muniti. At enimvero, ut modo vidimus, hoc ipsum, quod privatorum arbitrio excidat, et exerceri quidem sed non nisi publice exerceri deceat, ultioni naturali accedit, sive in eo ejus ratio immutatur, simul ac homines e statu naturali in sincerum societatis ordinem transeunt. Ergo quid luculentius et animadversum nunc facilius, quam quod poena nihil omnino aliud sit, nisi ipsa eadem illa ultio privata e jure privatorum in jus publicum translata, quodque propterea jus puniendi principaliter iisdem, quibus vindicta, rationibus et legibus innitatur, omnemque vitae suae ambitum ambae eidem rerum naturae et auctoritati debeant, sicuti infans, etiamsi adolevit, tamen

1) Quae vero hac ratione privatae potestati erepta ultio est, eam amplius exercere profecto civibus jam non licitum, sed inhonestum nec opus est, et huc potissimum spectare videntur, quae in reprobationem ultionis passim dicta et sancita, praeterquam quod sine modo irasci et ulcisci animi potius imbecilli et muliebris, quam validi et virilis est, quo sensu Juvenalis Sat. XIII. dicit:

Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
 Ultio. Continuo sic collige, quod vindicta
 Nemo magis gaudet quam femina.

Si quis sine causa se laesum credens laesionem mere imaginariam ulciscitur, vel laesus quidem est, sed aut hanc rem ipse curare non opus, nec jus habet, quia jam publice ea satis curatur, atque sic ultoris officium sibi arrogans, temerarium nexum socialis, quo devinctus est, se contemptorem exhibet, aut, cum ipse injuriam vindicans jure quidem suo uti videatur, attamen in vindicta sumenda prae bestiali furore et mentis perturbatione eorum, quae sana ratio et justus modus exposcunt, obliviscitur — vituperandus omnino est, atque eo magis, quoniam in rebus summi momenti versatur, verum omnia haec caecae ac nimiae cupiditatis vitia, ut vidimus, ultioni, ejus notione recte concepta, necessario nequaquam insunt, sed ejus tantum sunt errores et abusus, et tritum illud est, abusum non tollere justum usum. Ultionis quemadmodum vini usus justus et modicus membra refovet, totumque corpus bonae valetudinis vigore perfundit, abusus debilitat, quamque voluptatem abutentibus praebere videtur, ea falsa et perniciosa est; sed quis est qui propterea vinum non rem bonam nec in utilitatem, sed in perniciem generis humani a Deo datum et conditum esse velit affirmare?

eadem adhuc, quae antea, proles est, licet Deo annuente nunc validior, providentior et moratior existat; ad quam omnem rem uno verbo indicandam non inepte forsitan poenam appellemus ultionem publicam.

§. 15.

Cui de omni rei poenalis origine et natura sententiae etiam non solum adstipulantur quae supra vindictae privatae in publicam transeuntis prima vestigia apud nationes barbaras vidimus, sed etiam magnopere latinus loquendi usus assentitur; latine enim verba ultio sive vindicta et poena fere ut synonyma usurpantur.

Cicero de officiis: „Sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus injuriam acceperis. Est enim ulciscendi et puniendi modus.“

Idem epist. ad familiares libr. 1. ad Lentulum: „qui exemplum praeclarissimum in posterum vindicandae seditionis de republica sustulerunt.“

Plinius epist. 6, 31.: „Supererat crimini, quod nisi duorum esse non poterat, reliqua pars ultionis.“

Idem 4, 11: „nec minore scelere, quam quod ulcisci videbatur, absentem inauditumque damnavit incesti.“

C. Corn. Tacitus Annal. 11: „exacta et a Tetidio Labeone Vestiliae marito, cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset.“

Juvenalis Sat. nostra XIII.

principio: Exemplo quodcumque malo committitur ipsi
 Displicet auctori, prima est haec ultio quod se
 Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
 Gratia fallacis praetoris vicerit urnam.

deinde: *Poena* autem vehemens ac multo saevior illis,
 Quas et Caeditus gravis invenit, aut Rhadamantus,
 Nocte, dieque suum gestare in pectore testem.

Non absimilis quoque ratio est linguae germanicae cui exempli gratia: verborum — ungeahndet et ungestraft — promiscuus usus est.

§. 16.

Nequaquam vero tantum, ut appareat, poenam quoque ultionem appellari posse, sive ut illi etiam aliud nomen, quam quo communiter insignitur, invenerimus, omnis haec est disputatio. Majoris labores acti momenti sunt. Nam si verum est, poenam sincera sua natura nihil aliud esse quam ultionem in ejusque locum suffectam, illam pro maxima sua parte iisdem etiam, quibus haec, regulis esse circumscriptam, atque ut hujusce omnem modum et jus tollat, saltem eandem, quam ea, utilitatem et defensionem praebere debere consentaneum est. Poenam igitur, ut naturae suae et rationi conveniat, aequae ac vindictam:

1) ita comparatam esse oportet, ut non innocentem tangat, sed, quantum fieri potest, duntaxat nocentem, id est eum, qui facto suo justae suspicioni periculi porro impendentis locum dedit (§. 10), et sicuti ultio non nisi contra eos usurpanda, qui ejus mentem et intentionem perspicendi capaces sunt, sic quoque non puniendus, nisi qui sui conscius nec coactus ita se maliciose, vel cum prava rerum alienarum incuria gerit, ut ex hoc ejus se gerendi modo sive ab eo sive ejus exemplo ab aliis (ead. §. 10.) contra jus fasque laesio timenda, non igitur etiam puniendus, qui coactus, aut infans, aut furiosus et mente captus laedit — secus fere in ebrio, qui ebrietatem potuisset evitare, et eo magis, si scit etiam, se ebrium sui non esse compotem — neque qui minitatur quidem injuriam, sed aut corpore aut animo tam incertus et invalidus est, ut minarum executio non verenda, neque denique, qui non cum aliorum injuria sed tantum se suaque defendendi causa laedit. Quapropter verbum innocentiae hic etiam latius patet. Nam ut vidimus earum rerum, quae ambitum necessitatum et jurum suorum

naturalium constituunt, justa defensione carere nemo potest, eaque, si alius non tueatur, ipse propterea tuendi jure et ingenerata lege utitur, quamdiu non prius laedendo hanc conditionem amisit. Itaque poena quoque eum injuste ferit, qui damno quidem alium afficit, sed solum eam ob rem, quia ipse prior non tolerando modo laesus est, vel laedi in eo est, atque societati, cujus civis est, ejus hominis a quo laesio facta vel impendit, juste puniendi vel cura et sollertia necessaria deficit, vel ex alia aliqua causa potestas non ea est, quae laedi metuentem revera a laesione tutum praestare queat, quippe quare cessante, ut laedi juste metuens ipse defensionem suam agat et ad vindictam privatam recurrat, justum et non evitandum videtur, cum ulciscendi privatam exercitium propter nexum, qui inter hunc defensionis naturalis modum et generis humani conservationem intercedit (§. 4.), eoque tantum reprimi et aboliri possit, quousque id, cujus causa vindicta a natura permessa et invecta est (§. 3.), saltem aequae efficaciter alio modo praebetur. Quae res etiam ad certamina privatorum singularia apud populos hodiernos non infrequentia et nomine duellorum vulgo nota pertinet. Natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem, impellitque ut hominum coetus et celebrationes esse et a se obiri velit. Nec vero, cum naturaliter homo obligatus sit et jussus omnes suas facultates excolere et augere, hoc ei sine multo cum aliis hominibus libero commercio potest contingere; neque ideo hac, quae brutis sola concessa, cum aliis sui generis communione contentus esse potest, sed eorum multo arctiori et majori orationis et vitae usu et consuetudine ita natura indiget, ut ea sibi conservare ejus quam maxime et jure intersit, iisque destitui aequo animo nec ferre possit nec debeat. Cui accedit, quod animus inprimis juvenilis propter proprii judicii suspectam veritatem aliorum bona de se existimatione privatus vix justam et ad recte vivendum necessariam sui fiduciam retineat. Ita fit, ut homini praesertim in vitae civilis subtiliorem et ampliorem conditionem transgresso, in quantum animo generosior est, tanto magis ad primaevas naturae necessitates accrescat alia non minus urgens, ea quidem, non, ut magni habeatur et aestimetur, sed ut tamen perferre non possit, se ab iis, in quorum coetu vivere coactus est, earum virtutum, quas ut quisque pro virili in se excolat et habeat, ratio humana postulat, insigniter et ita deficientem censerit, ut propterea, quasi humano nomine indignus, in contemptu habeatur et societatis commercio arceatur: nec multum in hac re interest, illa ceterorum de eo existimatio noxia et judicium condemnatorium ex veritate et justa sint, an tantum erroneis et pravis opinionibus suffixa et vitiosa, quandoquidem et pravi talis judicii effectus paene iidem sunt qui recti. Quae cum ita sint, si ei, qui hujusmodi iniquae et perversae de se existimationis repudio et ira laborat, forte non alius ex hac infelici conditione resurgendi modus superest, quam ut ad ultionem privatam refugiat, non video, qua justa poena proposita retineri possit, ne, ut cum iis, quibuscum vivere ipsi necesse est, in gratiam redeat, vindictam usurpet, praesertim quando, nisi illam tentet, infamia, qua aspersus est, eum liberari non posse certum est, incertum vero, an poena ultioni privatae statuta eum assequatur. Sunt sane duella malum et tristes reliquiae temporum illorum renovati nationum Europaeorum status, quibus e mixta gentis arabicae ad offensiones capiendas facilitate cum populorum germanorum fortitudinis promptae et se monstrare gestientis lascivia fortasse primum enatus apud militares et inprimis equestris ordinis homines sensus ille invaluit, ac si quaevis minima de moribus vel mentis corporisque integritate et inprimis de fortitudine ipsorum dubitatio eos statim macula affligeret non nisi sanguine dubitantis delenda; ac si fortitudo non solum omnium virtutum esset praestantissima, sed quasi ab omni vitio absolveret et eximeret. Verum cum duellorum ratio et error in eo consistant, quod is, qui ex eorum, cum quibus vivit, vel recta vel prava opinione ob injuriam acceptam tanquam infamia notatus contemnitur et fugitur, tamdiu infamiae hujus nota censeatur laborare, donec certamine singulari armis letiferis cum adversario inito fortem se virum et timoris expertem probaverit, nulla habita ejus ra-

tione vetitum tale certamen legibus sit necne, exigua spes est, eum, qui in has angustias incidit, quique, ut ex iis evadat, timorem mortis ipsi ex armis adversarii instantis exiit et superat, metu legis et poenae commotum iri in statu infamiae perdurare. Videant etiam, quomodo sibi consent, qui ad servandam vitam in discrimen adductam nec aliter tuendam, moderamen inculpatae tutelae, quod dicunt, concedunt; cui tamen res in discrimen adducitur, ut nostri sunt mores, forsitan vita major et potior, ei, si, cum aliter salvus esse non possit, vi privata utitur, bellum indicunt. Efficaciorum equidem ad duellorum omnem insaniam, si non uno ictu, at pedetentim tamen radicitus evellendam modum crediderim, si ita constituantur, ut non solum jam in scholis speciali et accurata disputatione de omni ex re ejusque ortu, nequitia et damnis, quae exemplis insignibus ea historia duellorum petitis illustrare facile est, mentes pueriles horrore duellorum sedulo imbuantur, sed etiam curae sit, antea semper resciscere, si quod duellum instat, atque re intellecta deinde partes concernentes ita penitus conciliare, ut etiam opinionibus satis fiat, et quando hoc non impetrandum, puniantur quidem sones, non vero ejusmodi poenis, quae famam laedunt, quippe quae magis adhuc ad duella excitant, nec etiam — ne ipsi boni viri et legum reverentes commiseratione inducantur tacendae et celandae rei pronos se praebere et operam dare — ultimis aut omnino talibus poenis afficiantur, quae ad totam vitam pertinent, sed ad summum fere satis habeatur, eos e loco culpae admissae ad tempus vel etiam in perpetuum dimittere et relegare, exceptis facinorosis illis, qui alios laecessere sibi honori ducunt, et injuriari quasi ut negotium suscipiunt et gerunt; sicuti etiam exceptis, qui alio modo eximie malitiose in ea re, de qua agitur, versati esse probentur, quorum omnium malitiam durius tractare convenit — praeterea vero curae habeatur, ut, si is, qui ex opinione contubernalium ad certamen singulare provocare et se ei sistere coactus fuerit, non videatur admisisse quidquam, quapropter culpa sua in has difficultates incidisse credendus, tamen is quoque, quando hanc opinionem mutare incassum laboratur, locum infortunii sui et eos, quibuscum ibi fuit, relinquat et alibi domicilium figat, sed haec res et quantum ea insonti constat, non sumtibus ipsis, sed eorum pro ejusque parte sit, qui et quorum prava pervicacia ei demigrandi causa est. Quae rei medicamina, si iis adhibendis diligenter continuetur, non minus justa et tollerabilia, quam etiam, imprimis quando duntaxat apud quosdam hominum ordines, verbi causa militarem et studiosorum, duella adhuc in usu, magnae utilitatis futura videantur, et sumtus faciendos, et in ea re studiosos quod attinet, quoniam hi, quamdiu student, opibus in regula parum instructi sunt, eorum tamen sumtuum consecutio et exactio ita videtur commode fieri posse, ut, quod cuique ad eos conferre incumbit, si ipse non habeat, et qui ei parentum loco sunt, conferre vel nolint vel non possint, ab aerario publico quidem suppeditetur, sed qui pendere debeat, ejus summae debitor hac lege in librum publicum inscribatur, ut quando postea studiis absolutis in vitam quaestuosiorem transgressus et solvendo par sit, ea summa acerbe ab eo exigatur.

§. 17.

2) autem ex eo, quod poena ex ultione ortum habet, perspicuum est, poenam aequae ac ultionem tantum continere posse et debere, quantum opus est, ne laesio reiteretur, nihil vero amplius. Ne mortis quidem poena ergo exclusa est. Nam cum poena in locum vindictae privatae succedat, hujusce vero eoque jus sit, quousque ejus exercitium defensio necessitatum naturalium justa exigat (§. 10.), nec propterea dubitari possit, si quis ab alio impediatur, vel ex justa ratione sibi persuasam habeat, se in eo esse, ut impediatur iis uti et frui, sine quibus ut ex generis sui natura existat et vigeat, esse non potest, nec sciat aut videat, quo ullo alio modo haec impedimenta tollere et avertere queat, quam ut impediendum interficiat, eum hujus interficiendi non solum jure uti, sed etiam naturali se suosque

conservandi necessitate teneri — sequitur, eodem modo etiam, commutata status naturalis debilitate cum status socialis et civilis vigore, et ultione privata in poenae formam et rationem resoluta, quanto tamen accidit, ut etiamnunc, quae contra cujuscunque injuriam salva et inminuta servari necessario oportet, sine unius vel plurium hominum caede securitatis debita certitudine defendi nequeant, hanc caedem, licet jam exceptis forte casibus quibusdam rarissimis non nisi publice, fieri posse et fieri debere, in eaque omni re iterum nihil majus perpetratum iri, quam quod fieri posse nomine moderaminis inculpatae tutelae jam dudum ab omnibus peraeque admissum et concessum est. Veruntamen apparet sociali et magis adhuc hujus ea, quae civilis vocatur, junctioe effecta, si non omnino nullam, perramam tamen mortis poenae irrogandae necessitatem fore propter rei publicae bene formatae multas etiam alias, praeter poenas, ad criminum, atrociorum imprimis, eorumque repetitionis prohibitionem suppetentes vias et adminicula prompta, quo praecipue referenda: primum certior saltem, si non tunc demum exoriens vitae futurae persuasio ejusque pro hujusce vitae actae modo felicioris vel miserioris conditionis, sive religionis et ejus in animos hominum sollerter inculcatae vis; porro educatio sive institutio et assuefactio jam a teneris ad ea quae in hominibus adultis deinde bonos mores efficiunt, ita ut, quando plerorumque in civitate aliqua mores corrupti evenerint, ideoque educatio domestica prava censenda est, ii, qui civitatem regunt, ut mores populi meliores reddant, quoniam haec res maximi momenti est, operam dabunt, ut, quantum fieri possit, maxima sexus utriusque pars publice educetur, qui educandi modus domestico alias non videtur praefendus; porro auxilium quod cuique, qui, ut laedatur in eo est, a civibus propter societatis vincula et propter illud: tua res agitur, paries cum proximus ardet, paratum et propter multos in cohabitationis civilis frequentia hominum conventus et commercia fere ubique etiam in promptu est; institutio porro et disciplina ea, cujus speciale munus est cogitatorum scelerum executionem praevinire, sicuti omnium in civitate malorum enascentium initia expiscari, eaque statim in incunabilisprehendere et enecare, et in universum omnia vitae secure et jucunde agenda exorientia impedimenta singula, quae ex legibus talia habenda, jam antequam adolescant, tollere, quam disciplinam veteribus fere incognitam nostrates tamen graeco nomine politiam vocant; vis denique et apparatus militaris semper instructus. Nihilominus, licet ergo dicendum, priusquam poena capitalis in civitate aliqua statuatur, melius esse inquirere diligenter, numne accuratiori omnium earum rerum usu, quae criminibus capitalibus impediendis jam alia praesto esse remedia modo vidimus, poena capitalis evitari possit, tamen non eandem in ea re rerumpublicarum omnium conditionem esse certum est, et num poena mortis justa omnis evitari, eique omnino renunciari possit, multum etiam ab eo dependet, an terrae incultae, in quas homines timendi absque formidine, ne redeant, abjici queant, vel alii quicumque ad eos, a quibus jam nulla alia ratione, quam si nocere ipsis plane impossibile reddatur, caveri potest, penitus cohibendos et innoxios reddendos apti et justis modi suppetant, quibus dubito an recte etiam adnumeretur perpetua incarceration in civitatibus praesertim invalidioribus, cum hic scelestos coercendi adparatus non certus satis videatur, et insontibus facile plus justo constaturus. Si vero, ut repetamus, a quibus omnia ea, quae modo diximus, initium coepere, alias justa et certa defensio haberi non possit eorum, quae ut homini integra et libera serventur, urgenti naturae humanae desiderio et necessitate exigitur, ne quidem abhorrendum est a poena mortis inferenda, nam justae tuitione eorum, quae uno verbo necessitates naturales commode dici posse jam supra nobis visa sunt (§. 10.), supersederi nullo omnino jure potest. Nec solum in causis singulorum, sed etiam in causis ad conservationem status socialis et civilis ipsam pertinentibus haec locum habent, quoniam hic status ad praebendas hominibus singulis, qui in civitate sunt, consecutionem et securam possessionem, alio modo non recte efficiendas, omnium eorum, quae consequi et sarta tecta que habere iis ex natura sua opus est,

constitutus exinde eodem et majori etiam quam homines illi singuli se suaque defendi jure utitur (§. 3.).

Porro autem eo, quod poenae aequae ac ultio delictis prohibendis sufficientes non vero majores esse debeant, efficitur, ut etiam pro diversis populorum et hominum in civitate quaque conditionibus diversae, et modo acerbiores modo mitiores esse, et, si quando pro singularibus rerum actorum rationibus, vel per rerum faciem valde immutatam facinoris alicujus peracti reiteratio vel sine poenae irrogatione non metuenda, plane remitti possint, non quidem a iudice ex natura mandati sibi officii legibus obstricti et earum posthabendarum jure non praediti, sed tamen a summo imperante, sicuti eodem modo ab hoc quoque exasperari¹⁾.

§. 18.

3) Ex ratione ultionis sequitur, in criminibus ut ita dicam naturalibus, id est iis, quibus necessitates naturales invaduntur, ut poena locum habeat, non opus esse praeviis minis. Etenim jam haec ipsa indoles earum rerum, quas natura homini salvas esse nec imminui jubet, quod a natura profici-

1) Verum igitur sane est, societates hominum, quo magis eae in vim et ordinem reipublicarum sapienter et fortiter administratarum redactae, eo mitioribus etiam poenis usuras et iis contentas esse posse, sed hoc non minus ultione fonte et matre poenarum admissa, quam si ex quacunque alia re principium juris puniendi repetas, eodem modo, imo magis adhuc priori in casu locum habebit, quia sententiae, poenam ex vi dicta ortum habere et ibi ejus esse incunabula, haec imprimis etiam vis et sequela est, ut propterea in poena nihil amplius esse debeat, quam quod ad criminis omnem effectiorem et ad ejus repetitionem impediendas aptum et vere necessarium est. Non ergo e re ipsa et vera ultionis natura desumpta sunt, quae in reprobationem opinionis, quod poena non nisi ultionis exemplum et modus amplior sit, tanquam, qui hanc opinionem amplectantur, crudeles et a misericordia aversi esse debeant, Mackius in initio relationis suae ad Senatum reipublicae Novi Yorkii de injustitia suppliciorum coram populo executionis propinat, licet vera sint, quae deinde disserit de poenarum apud nationes Europaeas recentiori aevo multo mitiori forma et ratione. Quae vero ejus verba sint e sequentibus perspicias.

In ephemeridibus universalibus publicis regni Borussiae, Berolini 1835. Nr. 168., loco cui titulus:

Civitates unitae Americae septemtrionalis

haec perscripta: Collegium, cui mandatam acquirere, an utile sit supplicia coram populo exsequi, per Mackium ad Senatum reipublicae Novi Yorkii retulit:

„Cum homines antiqui et rudes per poenam ultioni delicti commissi satisfieri debere crederent, in poenis sumendis lenitatem ignorabant; saevitiam necessariam reputantes, ut a repetitione maleficiorum quivis deterretur, et eos, quos potius humanitate et institutione mores meliores docere debuissent, non nisi metu regere et retinere operam dantes. Genera poenarum minus ad rationem delictorum quam ad acerbitem legum electa. Sontes vivi hastis affixi, vel artubus integris mutilati, vel rota elisi, et corpora ipsorum in patibulis suspensa, ut ossa aëri exposita albescerent, et membra lacerata inhumaniter praetereuntium aspectui praebita. Sed ubicunque hi barbari poenarum modi in usu fuere, apparuit, iis contrarium ejus rei effici, cujus causa inventi. Non iis malefici a criminibus peragendis absterriti, sed potius homines populares redditi ferociore, per spectacula sanguinolenta effundendo sanguini assuefacti, et legum nimia austeritate potius ad earum odium, quam ad reverentiam et timorem excitati; nec igitur tales poenae utiles fuere, nisi ad delictorum numerum et atrocitatem augendos. Quinquaginta proximis annis apud omnes fere nationes Europaeas poena mortis ad pauciora crimina restricta, et pristina in irrogandis poenis crudelitas vel omnino obsoleta, vel tamen maxime imminuta. Omnes, qui hujus rei rectam sibi notitiam acquirendi studiosi fuere, in eo consentiunt, quod eodem modo, quo severitas veterum legum et suppliciorum in locis publicis executio abolitae, delicta in personas rariora effecta, sicuti etiam ubique terrarum pro majori, quae populum justa rerum cognitione imbuendi cura habetur, hujusmodi criminum numerum decrescere videris. Ex quo profecto manifestum est, non saevitia nec pascendo oculos vulgi supplicii a committendis maleficiis absterreri, sed recta rerum humanarum divinarumque scientia quam plurimis praebita et inculcata.“

scuntur et praescribuntur, quodque exinde, qualia sint, quicumque humana natura utitur, non potest nescire, efficit, ut is, qui illa alteri aufert vel prohibet, in dolo malo sit, vel saltem esse praesumendus, quousque non probaverit, rationem suam singularem fato diversam esse, seque propterea excusatum; nec igitur ab eo, qui in his rebus se laesum iri jure metuit, potest exigi, ut adhuc dubitet et anquirat, annon hoc ipsius periculum tantum in eo causam habeat quod alter quae agat vetita esse et ultioni subjacere ignoret, atque ut, priusquam fortiori et certiori, quod sibi laesioni avertendae remedium ad manus est, utatur, securitatem et salutem suam suorumve fragilliori et incerto committendi experimentum faciat, et defensionem rerum maximi momenti et quae sibi acerrime cordi esse debeant, quasi ludum faciat, quamquam jam etiam minae, quarum efficacia per se propterea potissimum incertior est, quod propter minorem rei cujusvis ex ejus denuntiatione, quam ex effectione, veritatem non tam facile, quam res ipsa, malefectorum persuadent, scelus, quod meditetur, si exsequatur, vindicatum iri, — sine dubio in civitate bene formata multo majori vi et utilitate erunt, quam in statu hominum naturali, vel civili quidem, sed minus perfecto, quia, quo melius civitas aliqua regitur, eo fortior praesumptio est, quae ejus nomine minuentur, executione quoque et effectu haud caritura. Attamen patet, non jam ex ipsa rerum natura recte dici, omnino nullam poenam sine lege esse et infligi juste posse, neque quemquam credo fore, qui serio dubitet, quin, cum exempli gratia civis civem nefarie occiderit, in omni civitate, qui bene regatur, homicidam, dicta huic rei jam antea lex sit necne, punituri sint et merito puniant. Omnia vero delicta magis minusve in eundem censum venire et tanquam contra naturam acta jam suapte natura poenae, etiam lege, qua statuatur, deficientia obnoxia mihi esse videntur, quaecumque contra corporis mentisve integritatem atque in eorum eximiam debilitationem et imminutionem peccantur. Neque aliquis dicat, hanc omnem distinctionem et disquisitionem esse inanem et fulem, cum nostrarum civitatum leges jam satis et abunde in quodque facinus, quod poena dignum, poenam quoque constituent, nec igitur ad puniendos quoscunque fontes legibus deficiat. Non ita est, si verum, quod Feuerbachius in compendio juris poenalis ad §. 280. his verbis dicit:

„Ex opinione Tittmannii etiam in vires mentis humanae delicta committi possunt (videatur ejus diss. de delictis in vires mentis commissis. Lips. 1794.), sed nostris legibus haec ita incognita, ut ne in iis quidem, quae tanquam delicta designata, aliquod sit, ad cuius certe similitudinem etiam sola imminutio virium mentis alienae pro delicto haberi posse videatur.“

Sed si corporis alterius vulneratione et debilitatione laesio committitur, talis quoque et profecto major adhuc virium mentis imminutione et deletionem peragitur; cur igitur non ab his quoque se defendere laedi periclitanti et iis, ad quos alios ea res pertinet, et ex ea causa, laedere paranti, ut eum inde absterreant, si opus, malum infligere liceat, et tanquam, ut sua defendant, natura obstrictis obligatio sit? Sane hoc crimen imminutionis virium mentis plerumque malitiae subtilioris est, quam ut in rudibus vitae socialis primordiis facile occurrat, et artificiosius, quam ut facile appareat, sed haec non impediunt, quin, quando occurrat, laesionem eximiam possit continere, et si contineat, haec laesio vindictae et poenae sit obnoxia et si forte laesus per effectam mentis imbecillitatem vindictae sumendae ipse incapax redditus, etiam aliis. quorum ea res quoque interest, et reipublicae, quando ad eam jam ulciscendi jus perlatum, talia malefacta aptae poenae auxilio arcenti plenum jus competere dicendum sit. Nec ipsum etiam Feuerbachium, celeberrimum illum juris puniendi quondam moderatorem, licet alias opinionis de poena sine lege non admittenda tenacissimum, dubitaturum fuisse crediderim, si probari potuisset, revera Kasperum Hauserum tam male, ut prohibetur, esse habitum, et si detecti, qui hoc commiserint, eos puniendos, quamvis forte non apparuerit, corporis ejus vires valde ex eo esse debilitatas. Mea autem sententia haec omnis res, de qua agimus, etiam ad

omnes malitiosos mentis et animi aliorum inprimis juvenilium corruptores quodammodo pertinet. Quin etiam alia adhuc peragi posse mihi videntur, quae, quamquam ex legibus non inter delicta habenda, tamen nihilominus ex jure naturali et ex eo, quod juris puniendi verum principium ac fundamentum esse vidimus, talia haberi et puniri etiam sine lege debeant; exempli gratia, si tempore annonae gravis, qui tamen ea larga et multum ultra proprios usus abundante utantur, constanter recusent, communicare copias suas cum iis, qui alias fame perituri, atque hi ex eo vel pereant, vel damno certe eximio afficiantur, illi, qui egenis victum necessarium nec aliter habendum detinent, legibus quidem, sed nequaquam jure, mihi videntur poena liberi, atque etiam sine lege puniendi. Nec video, cur de his rebus, quae hac ratione legibus quidem criminibus adscribere neglectae, sed jam natura sua ultioni et poenae obnoxiae sunt, non etiam jam judex statuere possit, nisi forte hae causae in civitate aliqua summo regimini expresse reservatae sunt. Atque affirmare ausim, nostras civitates, quando non eorum, qui contra humanitatem peccant, potentia impedimento est, hoc jure quoque uti. Equidem aliquem, qui aegrum et ulterius progredi invalidum ex via publica in aedes suas recipere inhumaniter recusaverat, cum ille coeli intemperie feбри accedente mortuus esset, a iudice nullo improbante poena affectum vidi, etsi, in quantum sciam, lex nondum lata, ex qua poenam solverit.

Contra vero omnia ea, quae non jam tanquam adversus naturae finem et propositum directe tendentia, illicita et vetita sunt, sed quae non nisi ad similitudinem et modum eorum, quae naturaliter jam ultioni et poenae subjacent, sub poena praecipuntur vel prohibentur (quoniam ita fieri eorum licet non proxima at indirecta et remotior tamen cum salute et utilitate hominum conjunctio exigit) — aperte in imminutionem libertatis singulorum naturalis sic jubentur aut vetantur, et delicta, ut ita dicam, tantum civilia efficere, et ejusmodi esse mihi videntur, ut sine lege satis certa, per quam pro delictis haberi jubeantur, talia esse non censenda sint; idque propterea, quoniam eas actiones et omissiones, quae natura licitae, tam diu recte pro permissis habemus, quamdiu nobis non is, cujus ea potestas est, se eas arbitrio nostro non relinquere, satis luculenter manifestavit; nam quo alio modo earum rerum jus mutatum esse sciamus? et contra eum, qui quidem aliquid facit quod nolimus, sed in ea re omni malitia et culpa vacat, quippe se contra jus facere absque sua culpa ignarus, nullum est jus ultionis neque ergo poenae. Hanc vero rationem, quod, nisi eas lex satis certa delictis adscribat, talia nulla sint, causae omnes eae habebunt, quae non jam lege naturae criminales sunt, quales exempli gratia non sunt, quae ad redivitibus publicos, quae ad disciplinam eam civilem, quam politiam vocant (§. 17.), et denique quae ad ordinationem regiminis publici in civitate et ad rerum gerendarum constitutum modum pertinent.

§. 19.

4) Crimina in se ipsum nemo potest committere, nam defensio alicui contra se ipsum ultionis modo malis adhibitis nulla esse potest. Potest quidem aliquis, ut liberetur vitio contracto tanquam medicinam in eam rem mala sibi ipse irrogare, vel pati ut sibi irrogentur, verum non eo consilio, ne velit amplius vitium committere; nam si ita adhuc sui compos est, ut propositi tenacem se possit praebere, jam haec ejus voluntatis constantia sufficit, ut propositum exsequatur, et si non est, incapax etiam est in eo persistendi, ut se malis, quae videantur salubria, afficiat, vel affici patiatur, atque auxilium, quod malis sibi a se ipso inflictis paratum valeat eum a delicto retinere, nullum est. Si vero sine ejus consensu ab aliis ad exuendum eum illo vitio malis afficitur, haec non est ultio, quam ipse in se exercet, sed vel est ultio aut ad communem ulciscendi modum, quando scilicet aliorum ita interest, ut ejus ratione vindictae jus ipsis competat, aut in morem ejus potestatis qua utuntur, quibus educationis obligatio incumbit, vel si non in

ulciscendi, sed in ullum tamen finem justum fit, est modus praeveniendi eum a quo jactura imminet, id est, redigendi eum in eum statum, ut, etiamsi velit, eo modo, quo metuitur, nocere amplius non possit.

§. 20.

5) Poena aequae ac ultio ut locum habeat, requiritur, ut jam aliquid actum sit, non sufficit, tantum cogitari, non vero necesse est, ut etiam jam omne id, quod est in propositis malevoli, effectum sit et absolutum. Ac si res non propter immutatum ejus consilium minoremque saltem, quam quae in principio fuit, nocendi constantiam imperfecta, sed duntaxat, quia, licet in incepto perstans, tamen contra suam voluntatem hoc tempore propositum peragere vel impeditus fuerit, vel parum successerit, verbi causa, si aliquis hominis interficiendi gratia telum emiserit, sed hoc interficiendum forte non attigerit, aut duntaxat vulneraverit, non videtur propterea poena mitiganda; quoniam ratio majoris minorisve nocendi constantiae sicuti facultatis rem ad finem destinatum perducendi ¹⁾, quae in malefico apparent, et res quam ille petit, modum periculi ab eo impendentis constituunt, nec hoc periculum eo minuitur, quod una vice inceptum ei non processit, modus defensionis necessariae vero a magnitudine periculi instantis dependet. — Sed praesumi tamen posse videtur, si non apparet facinus casu tantum esse interceptum, id potius per audaciam vel peritiam et facultatem hominis facinorosi rei exsequendae minorem exitu proposito caruisse, quoniam, qui sui compos est, id quidem efficere voluisse censendus, quod effecit, non vero etiam majus aliquid, nisi probetur contrarium. At qui nihil amplius fecit, quam quod verbis malam rem minitatus est, nondum neque vindictae neque poenae videtur obnoxius, quia usus loquendi receptus impedit, quominus ea, quae adhuc non nisi cogitantur, possint dici vindicanda, quamquam consilia quoque mera et minae jam ejusmodi esse possunt, ut jure quidem nobis ab iis caveamus, sed alio tamen defensionis genere, quam quod ultione continetur, nempe eo, quod partim efficitur cura et diligentia, ut praeparati satis simus periculo instanti, quando illud deinde vere acidat, partim vero, si rerum ratio hoc exigit et permittit, etiam eo progreditur, ut praeveniamus aggressorem futurum, eumque rei agenda ita incapacem reddamus, ut etiamsi velit, quod sibi proposuit, vel ne incipere quidem, vel saltem id ulterius, quam jam factum est, exsequi non possit. Quin etiam fieri potest, ut is, cui aliquis minatur, talis sit, ut hoc respectu jam solae minae nomine injuriae proprie sic dictae delictorum gregi adscribantur, sicuti in universum, si delictum commissum, factae minae ejus auctorem monstrare videantur, quae tamen res ad eum locum, qui nunc est in manibus, non pertinet.

§. 21.

6) Cum tantum defensionis causa poena sumatur, ejus exigendae nulla est absoluta necessitas, sed ea res a voluntate omnium eorum, qui ex facinore peracto futuram sibi laesionem juste metuunt, et ex illorum opinione, an ad avertendam eam irrogatione poenae opus sit necne, dependet. Itaque si vel non censeant ad eam rem poena opus esse, vel adeo ei omnino locum non esse arbitrantur, poenae exactio non videtur justa, sicuti contra naturam est, fortem et praevalidum ulcisci injuriam ab imbelli et vere non metuendo acceptam. Ex quo id, quod condonationem poenae appellant, ena-

1) Quem ad modum nuper (videantur ephemer. Hamburgenses 1835. Nr. 292. loco, qui inscriptus: Lutetiae Parisiorum die 8. Decembr.) accusator publicus in Senatu supremo Franciae dixit: se tamen arbitrio judicium relinquere, annon absurditas criminis et ea ratio, quod illud ad exitum perducere plane non possit, faciant ad mitigandam legis severitatem.

scitur. Ejusmodi condonatio, si tamen non proprio sed alieno periculo fit, ut haec res fere semper se habet, quando poena publice condonatur, neque sine ratione sufficiente concedi, neque, quando haec ratio sufficiens ex eo apparet, quod periculum laesionis futurae omnino nullum est, recusari debet videtur. Duplici autem modo necessitas poenam defensionis causa infligendi nulla amplius esse potest, vel si crimen aliquod ejusmodi singularis naturae et conditionis est, ut pro rebus postea natis, quae ad id peragendum impulerunt, non iterum accidere posse credenda sint, nec igitur secundum illud, quod cessante causa cessat effectus, ejus criminis repetitio ullo vero modo timenda, vel si is, qui deliquit, postea tam egregie se gessit, ut tam animus ejus prorsus in melius immutatus esse videatur, quam etiam propterea ex condonatione poenae ex hac sola ratione facta nequaquam improbis ulla spes possit exoriri, eos eodem crimine commisso quoque impunes fore ¹).

§. 22.

Cum nunc accedo ad aliorum de iis rebus, in quibus hucusque versati sumus, sententias inspiciendas, me a Feuerbachio in eo potissimum dissentire video, quod ille nullum facinus poena teneri contendit, quod non lege aliqua ab hominibus constituta puniendum — nulla poena sine lege — (Compendii de jure criminali quod in Germania peraeque obtinet, Giessae 1801. §. 24. II.), quod hoc negans deinde omnem quoque disciplinam philosophicam, quae est de finibus poenarum, judici scitu non necessariam nec ad ejus officium pertinentem existimat, affirmans hoc duntaxat tum secus se habere videri posse, quando quis jus puniendi ex jure se suaque defendendi repetat (l. c. §. 19. additam secundo et §. 89. addit.*), quodque denique credit, judicium in facinorosos potestatem dicendo jure de poenis utique finitam esse, neque eos eo progredi debere, ut quoque se immisceant statuendis modis, quorum haec sola ratio, ut in posterum securitati publicae caveatur iis, qui metuendi sint, in eum statum redigendis, ut nocere non possint (l. c. §. 91. add.*). Sed vix vir celeberrimus in his rebus ipse sibi constare videtur. Nam, quantum equidem video, ipse etiam originem juris puniendi ex facultate se suaque defendendi repetit, dicens (l. c. §. 9. 11. 12.), quia homini sarta tecta quoque esse debeant, quae jure ei competant, ut tanquam animal ratione praeditum possit existere, eum obligari ad societatem civilem contrahendam, quippe quae hanc ei securitatem praebet, et quae, cum ejus ineundae igitur consilium ac finis sit, ne jura homini ex natura sua competentia imminuantur, hoc etiam vi perficere possit. Duplici autem modo in ea re vi posse agi, vel directe, quando quis in eum statum redigatur, ut non possit malefacere, vel indirecte, quando per vim adhibitam alicui haec mentis temperies efficiatur, ut etiamsi velit et possit, non audeat tamen injuriam facere, et saepissime jura humana non aliter posse protegi, quam ita, ut ante eorum laesionem peractam posteriori hoc modo alicui vis fiat ad eum effectum, ut omnes cogantur, sibi ipsi injuriam interdicere eaque abstinere (l. c. §. 15.), hanc autem vim tum fieri, cum omnes resciscant ex facinoris perpetratione sibi majus redundaturum esse malum, quam quo eos afficiat dolor ex eo conceptus, quod optatis non potiantur. Itaque etiam Feuerbachio ea res, propter quam efficiendam justa poenae irrogatio, haec est, ut nocitatus deterreatur a nocendo — deterretur enim, qui per metum ei excitatum commovetur, ut re aliqua absteineat — atque ille porro ipse dicit (l. c. §. 20.),

1) In criminibus tamen, quae naturalia diximus, poena, etiamsi talis non expresse statuta, non cessat, nisi expresse condonata (§. 18.), et porro, cum illa omnia jam per se jure naturae poena teneantur, in iis facilius interpretatio extensiva, in his vero delictis, quae mere civilia, et quorum propterea quodque solum eatenus poenae obnoxium est, quatenus lex expressa in eam ipsam rem poenam sancit (§. 18. in fine), restrictiva duntaxat interpretatio admittenda esse videtur.

eam rem, propter quam efficiendam irrogata poena esse debeat, ut vera poena sit, esse finem poenarum. Ergo finis poenae est ut nocituri a nocendo deterreantur. Ergo poenae irrogatio etiam Feuerbachio modus defensionis est, non quidem haec a laesione praesente, sed a laesione adhuc futura, nam certe omnia ea, quae tendunt et utiliter adhibentur, ne aliquem tangat id, a quo se tangi non vult, vel a quo ut tangatur alii nolunt, quaeque ita ei rei, quam fieri nolunt, efficiendae impedimenta opponuntur, ad defensionem ejus rei pertinent, et sive ea res jam praesens sive adhuc futura sit, defensionis nomine recte insigniuntur (Supra §. 10.). Sed haec si ita sunt ut diximus, non ipsum etiam Feuerbachium, si adhuc in vivis esset, rejecturum fuisse crediderim, quae supra ex eo, quod poena nihil aliud sit, quam defensio a laesione futura nobis consequi visa sunt, modo ea exinde vere sequantur, de quo quaerere hujus jam non amplius loci est. Quod vero Feuerbachius (l. c. §. 22.) dubitat, an ei, qui laedit, ob eam rem, ut ipse et alii tamen a laesione futura abstineant, malum jure infligi possit, hoc nunc jam eo refellitur, quod ipse tamen ab injuriis deterrendi causa poenas irrogari et juste irrogari affirmat, praeterquam quod ei dubitationi satis jam iis, quae supra (§. 10. in fine) exposita, videtur responsum; nec profecto est, quod haesitemus admittere, ipsam quoque statim poenae irrogationem valde aptam fore, ut omnes resciscant et sibi persuasum habeant, ex facinoris perpetrato sibi majus reduntaturum esse malum, quam quod eos afficiat dolor ex eo, quod optatis non potiantur; nam quo modo certius hoc rescituri sunt, quam si ita esse statim re ipsa experiantur, aut saltem in alio homine re ipsa monstratum videant? Sicuti porro, si ea justa sunt, quae nos ex eo, quod defensionis causa puniatur, invenimus, ea Feuerbachii sententia, ex qua censet, quaestionem de veris juris puniendi principiis ad rem judicariam sive ad jus criminale positivum, quod vocant, non pertinere, nunc jam propria sua debilitate corruit, postquam apparuit, si rem ipsam spectes, — licet sibi nescio quo pacto aliud quoddam persuasisse videatur — etiam Feuerbachio aequae ac nobis poenae irrogationem defensionis esse speciem; quamquam memoratu non indignum videtur, Feuerbachium ipsum quidem (l. c. §. 10.) contendere, in quaque civitate esse opus, ne ullae omnino jurum humanorum infractions locum habeant, atque igitur sine dubio eae etiam omnes, quantum fieri potest, prohibendae et profligendae sunt, verumtamen addere oblitus est, quomodo, nisi aliunde quoque in ea re quam ex legibus aliquid petere licitum, hoc, in quantum puniendo attingi potest et debet, efficiendum per poenas legibus constitutas in ea civitate, in qua, ut est rerum humanarum deficientia et penuria, non jam omnes ejusmodi laesiones, imo forte earum non permultae, legibus tanquam delicta notatae. Locus denique tertius, in quo a Feuerbachio discrepare videmur, quod scilicet ille dicit, judicem in irrogatione malorum eam rationem, quae puniendi jure efficiatur, excedere esse incompetentem, revera ad quaestionem de vera poenarum origine sive de finibus poenarum omnino non pertinet, sed potius ad ordinem et modum diversarum in civitatibus ad eas bene regendas potestatum constitutarum, quamquam, ut cetera omittam, si tamen alicui etiam eorum qui ex mandato tantum jurisdictionem habent, exercendae ejus potestatis, quae praeveniendo maleficia exercetur, jus competere potest, cui ipse Feuerbachius videtur annuere (l. c. §. 91.*), equidem non intelligam, cur hoc tale jus non judici quoque, praesertim in causis penitus apud eum actis, et quarum igitur rationem omnem hic melius alio cognitum habere debet, concessum esse possit.

§. 23.

Manifestius quam cum Feuerbachio cum Grolmanno congruimus, quoniam et hic expressis verbis rationem poenae in defensione necessaria ponit. Verumtamen eam viam, qua nos ad eam rem pervenimus, certius nos duxisse crediderim, atque omnem hujus rei speciem, videre volentibus, nunc multo apertius ante oculos esse expositam. Etenim iter incipientes ab eo,

quod homini quaedam natura competant, quorum ei necessaria conservatio, intelleximus, haec ergo etiam vi defendere licere, quando ea defensione opus, nec solum ita, ut adversarium absolute cogamus a laesione abstinere, sed etiam et magis adhuc sic, ut vi adhibita eum tamen deterreamus, ne intentatam laesionem exsequi amplius audeat. Semper autem ei vi locum esse, quando ab aliquo, ne laedat, quae laedi non debeant, periculum sit, cujusmodi periculum inprimis laesione facta jam ex eo, quod ea facta, recte porro timeatur tam a laedente, quam ab aliis. Itaque ut is qui laesit et alii saltem a futura laesione retineantur, iis utroque quo diximus modo vim facere naturale nobis jus constare, si aliter a periculo instante securi esse non posse videamur, atque eo quoque jure homines status civilis legibus solutos peraeque uti. Sed esse in hac re multo utilius vim eo modo adhibere, ut non absolute prohibeat, sed tantum a laedendo deterreat, atque ultionem, si quae in hac agantur, rite inspicias, nihil aliud esse, quam ipsam ejusmodi juris competentis naturalem perceptionem et executionem. Ultionem ita intellectam igitur natura ipsa comprobata ac justam esse, si modum adhibendi vim necessariam, ex quo solo omnem vitam et animam habeat, non excedat. Hoc autem cum recte fieri non possit vindicta privatis relicta, eam deinde civitatibus constitutis a privatorum arbitrio ad rem publicam transire, et nunc poenam appellari; quae propterea tanquam ab ultione profecta ejus veram naturam retineat, et ex ea maxime aestimanda sit. Ita vero poenae nomen proprie ad eam solam vim restrictum est, quae maleficum et ceteros a futuris ejusmodi laesionibus, quales peractae, deterrendi causa fit, contra vero absolutae ad facinora impedienda violentiae, ut quae efficiat, ut res omnino amplius fieri non possit, nomen proprium videtur esse praeventio a praeveniendo. Quae non negligenda sane, licet nihil impediatur, quin puniendi jus exercens praeveniendi quoque potestatem habere possit; quaeque cum non bene distinxerit Grolmannus, vocabula defensionis per poenae irrogationem et praeventionis per vim absolute retinentem ut synonyma usurpans (§. 4 et 5. compendii doctrinae suae de poenis — Giessae et Darmstadii 1805.) sententiae suae de poenarum vera originæ et ratione recte intelligendae ipse nebulas obtendisse, sicuti in universum eam non ita, ut a nobis factum arbitramur, a primis principiis repetita et continua conclusionum serie accurate exposuisse, atque certam et ad usum forensem aptam constituisse videtur. Poena ut ultio cum praeventione in eo congruit, quod utraque cavetur ne quis faciat quae fieri nolumus, sed hoc interest, quod qui facturus sit, potestate et animo relictis, rei peragenda tamen per poenam constantia exuatur, per praeventionem autem, sive id, quo potiri alter aestuat, prius arripiendo, sive eum ad id quod vult efficiendum incapacem reddendo facinorosum ipsa potestate privemus mentis exsequendae, quodque poenae more duntaxat, in quantum aliquid revere jam commissum est, ex natura ultionis, a qua poena ortum habet, alteri vim facere liceat, praeveniendi vero etiam eos, qui scelus adhuc non nisi cogitant, vel a quibus propter turbatum mentis statum, sive quia omnino non cogitant, laesionis periculum adest — justa ratio esse possit. Praeventionis igitur usus magis anceps et lubricus.

§. 24.

Sed ut audio nunc fere maxime liber Benthamii de legibus sive de scientia legum tam civilium quam criminalium ferendarum, et de iis rebus quarum in jure tam civili quam criminali condendo praesertim ratio habenda, in omnium manibus est. Quapropter, ut etiam ad ea, quae ille, quaeque qui illum librum germanice, Berolini 1830, edidit et praefatione auxit, Frid. Ed. Benecke ad nostram rem facientia habent, animum advertamus, et, quae eorum respectu nobis dicenda videantur, paucis explicemus, non videtur profecto praetermittendum. Benthamius autem in utilitate omnem rem ponens, neque ultra eam fere progrediens, in declarandis juris puniendi

regulis, Epicuraeorum quasi modo, infra principia videtur consistere. Nam ut concedamus, quae jam concessimus (§. 16.), etsi non semper, saepe tamen, quae facinora poenae subjienda, ac saepius adhuc, quae in quodque crimen poena sancienda, pro diversis populorum ingeniis et rerum praeteritarum sortibus, proque etiam locorum, quae inhabitant, diversa conditione et propter omnia haec eorum moribus et institutis diversis, perque alias praeterea rationes variare, et multis suis partibus potius ex illis inveniendum, quid tuendis singulorum juribus et commodis maxime necessarium et conveniens sit, quam ut hoc certis et apud omnes nationes ubique eodem modo usui aptis legum formulis ipsa jam natura datum sit et definitum — tamen jam hoc utilitatis vocabulum statim quaestionem movet, an omnino homini aliquid utile et aliud contra noxium vere possit dici, et cur hujusmodi non semper eadem rerum in homines efficacia statuenda; quo pervenitur ad intelligentiam hominibus esse quaedam non solum utilia, id est quae eos sensu grato expleant, sed ita etiam natura necessaria ut subtrahi nullo modo debeant, eaque exinde eis necessario sarta tectaue conservanda esse, et deinde ad cognitionem eorum, quae talia habenda, sicut ad scientiam, si non omnia, permulta tamen etiam in his rebus earumque omni ratione jam ipsa natura esse definita et apud omnes ubique homines peraeque observanda. Sic illa disquisitio, ut vidimus, ad veram primitivam rationem, ex qua ad tuenda, quae hominum intelliguntur esse naturalia et alia jura, vi quoque agi possit — quae ratio est defensio justa — et in specie ad principia juris puniendi et poenarum fontem, ad defendenda maleficia per vim indirectam malis irrogatis ultionis nomine primum profluentem saepe lubricum, errantem ac saevum, deinde vero intra suos limites coercitum, certum et mansuetum, jamque nomen poenae ferentem deducit; quae disquisitio ergo certe non negligenda et solummodo, quia eam non instituerint, uterque Bentham et Benecke in quibusdam suis locis a mea sententia discrepare mihi videntur, quam potius, si ut nos rem a capite repetiissent, et ipsos paene in omnibus amplexos fuisse eo minus dubitaverim, cum jam sine hac rei tractandae diligentia, mera quasi divinatione inducti, illi contra receptam opinionem intellexerint et statuerint, nequaquam omni modo ultionis tam scelestam naturam et tam nefarium usum esse, quam vulgo affirmetur, dicentes:

1) Benthamius l. c. T. alt. parte 2. cap. 4. No. V.: „Quousque vindictae usus intra legum limites consistit, innocuus est, nec nisi, cum hos excedit, vituperandus. Non ultionis appetitus teterrimus animi affectus est et maxime timendus, verum inimicitia et illud hostile odium, quod homo superbia inflatus interdum concipit, vel quod ex imperita et vehementi in rebus divinis et ad rem publicam pertinentibus opinionum et morum alienorum reprobatione et impatientia enascitur, sive ut uno verbo rem omnem complectar, non illae inimicitiae maxime metuendae, quae justae sunt, sed eae quae ratione legitima destitutae. Hominum ad ultionem expetendam cupiditas tam singulis civibus, quam etiam reipublicae perutilis, imo necessaria est. Ea testium ad verum edicendum ora aperit, ea incitat accusatorem, ut nec impensas faciendas nec molestias et inimicitias obeundas curans crimina denunciaret et persequatur. Sane qui bonos mores non nisi ex verborum sono aestimant, a tali sententia abhorrebunt. Ultio dicitur res execrabilis, ejus omnis usus improbat, et injurias remittere in summa laude ponitur. Detestandi sane, qui nulla omnino satisfactione possunt demulceri, et est egregium injurias remittere, sed non nisi postea, quam auctor injuriae in jus vocatus, et de ea re aut condemnatus aut absolutus est. Antea jam injuriarum oblivisci idem est, ac si ad eas invites, nec ergo societatis initae fini attingendo utile, sed ei contrarium et perniciosum est. Nam quid facinorosis jucundius possit evenire, quam si ita instituat, ut injuriis quibuscunque ignoscendum sit.“

2) Benecke in prooemio ad tomum illum alterum pag. 11.

„Antiquis temporibus ultio sive talio (expiatio) erat unica lex poenis constituendis earumque modo definiendo.“

et porro pag. 12.

„Desiderium ultionis, quo delictum commissum resciscentes afficimur, res omnes, quae ex hoc delicto peracto deinde rationem sive principium et ortum habent, in se continet, sed non unam ab altera distinctas, nec forma ad rectam rationem accommodata, sed ad similitudinem bestialis saevitiae efficta, incerta ac rudi. Quod, qui damnum datum resarciendo, monendo, dehortando, deterrendo corrigendoque, rem, quam agunt, perfici posse autumant, multa cura anxie quaerunt, et saepe non nisi per longas et difficiles ambages assequuntur, id ultio sine ulla ejus, quo tenditur, cogitatione et intuitione, ac quasi oculis adopertis rem aggrediens, illico et uno ictu per malefici interemtionem, mutilationem, vel per aliam ejusmodi violentiam praecipitem obtinere praesumit.“

§. 25.

Sed quid est, quod ita ad ultionis sensum et desiderium instinctu quodam naturae excitatos nos juste possit impedire, quin nostri reddamur conscii, et, cum tamen non caeca libidine actae bestiae, sed homines et rationis participes simus, excusso omni stolido furore rem sollerter tractemus, anquirentes primo quid natura illo vindictae affectu indito indicare et efficere laboret, idque deinde agendi normam sequentes? Qui ita rem ordine tractant, non minus ac nos animadversuri sane sunt, illius rei plane eandem formam ac rationem esse, quae est poenarum irrogationis, [hac solum differentia, quod, in quantum civitatibus constitutis poenae modus recte se in ultionis locum insinuet, haec deinde cesset, atque etiam alio modo per status socialis formationem vindictae figura immutetur. Itaque omne jus puniendi ejusque ratio primum ex ultione ejusque legibus diducenda, deinde vero non negligenda, quae vitae socialis major vis et ordo in his rebus melius constituunt. Nec, dummodo rem satis accurate consideres, poenarum rationem ultionis notioni et naturae recte intellectis duntaxat rudi quodam et obscuro et horrido modo inesse videas, sed satis clara et absoluta, atque cum humanitate quam maxime congruenti sententia. Revera ultio est mater, poena vero filia matri quidem simillima, attamen per rerum humanarum in ordinem civilem redactarum beatiorem statum habitu multum cultiori incedens, atque ita non cuique, quae et cujus farinae sit, statim apparet et cognita. Quapropter, si quis ultionem et poenam ejusdem familiae et utriusque eadem lineamenta primaria incisa esse, vere intelligere et perspicere vult, sane opus est, ut diligenter et cum cura faciem ambarum inspiciat et perscrutetur, nec mirum, hoc si non fecerit, eum de ea re ambigere. Sed hoc, quod non sine multa opera verum invenias, ni fallor, fere in omnibus ad philosophiam pertinentibus, quae majoris alicujus momenti sunt, simili modo obtinet. Quemcumque vero, qui mentis justa facultate et ad ea indaganda quae causas et nexus rerum constituunt, exercitatione sufficiente instructus ad eas res, de quibus nobis hucusque sermo fuit, animum serio adverterit, nunc certe concessurum esse confido, revera vindictam genuina natura eam vim habere, quam perspicuam et certam iis sententiis, quae ex hac ejus natura bene intellecta consequantur, inesse hoc opusculo probare conati sumus.

§. 26.

Itaque jam finem faciam, non ignarus quidem, etiamsi studiis nostris aliquid effectum, quod operae pretium sit, tamen me ad summum rem tantum attigisse, et potius indicasse quam absolvisse id, de quo agebatur. Verum cum prae magna occupationum officialium copia laboribus ordinariis hinc et inde singulas horas quasi surripiens vix duobus annis tempus necessarium

ad instituendas et connectendas eas disquisitiones, quas nunc lectori benevolo offero, corradere potuerim, non solum mirandum non est, me jam taedio rei ejusque relinquendae desiderio maximo teneri, et si quid forte investigaverim, quod scrutinio et expositione diligentiori dignum esse videatur, me lubenter ejus rei ampliorem et absolutiorem tractationem aliis cedere, sed etiam apparet, etiamsi opus majus aggredi velim, me injuria vitae meae conditionis ab eo prohiberi.

Quae conspicua reddere et esse volui principaliter haec sunt :

- 1) Ultionis desiderium et quandam necessitatem homini jam natura inesse, nec ergo ultionem omnem esse malam et improbandam, cum quae natura ipsa desiderat et jubet, potius sancta servari debeant.
- 2) Sed quoniam praesertim in animante ratione praedito nihil natura inesse possit, quod non ex ratione sit et justum finem habeat, etiam vindictae talem justum finem natura propositum esse debere.
- 3) Hunc vero finem, si quis sit, nullum alium esse posse, quam ut maleficia prohibeantur; nam cum ultio eo spectet, ut malo afficiatur, qui malefecerit alii, nihil manifestius apparere, quam ultionis appetitu concesso ab ipsa natura eam rem, ex qua hic appetitus exortus, factam reprobari et vetari, ejusque igitur repetitionem quoque quam maxime rejici, et in hujus ipsius rei testimonium maleficum etiam malo rursus afficere non iniquum censeretur. Ergo nihil simplicius et rationi convenientius esse, quam videre et credere, naturam illo appetitu condito et inprimis illo hominibus ingesto voluisse efficere, ut ea facinora quae fieri illa vetat, si facta, saltem non amplius fiant, sive vindictam esse natura approbatam et praescriptam rationem et legem adhibendae vis ad deterrendum homines, ne ea aliis faciant, quae iis facere non debeant. Et esse sane multa, quae homo, ut sit, qualem eum esse natura vult, sibi fieri omnino pati non possit, et quae prohibere igitur potius et possit et debeat etiam vi adhibita.
- 4) Quae autem ita vis adhibeatur ad eam rem prohibendam, quae in damnum alterius intentetur, proprio nomine dici adhiberi ad hoc defendendum sive alia locutionis formula in defensionem ab hac injuria illius, cui ea destinata. Itaque ultionem defensionis justae esse speciem et ex ejus regulis aestimandam.
- 5) Justam porro defensionem esse justam ac licitam, nec qui ei exercendae causam dederit, jure posse queri, si ex ea doleat, verumtamen, ut recte talis defensio etiam cum vi conjuncta locum habeat, requiri, non solum esse rationem sufficientem, cur malum aliquod tanquam instans metuatur, sed etiam in malo illo avertendo nihil adhiberi, quod ei avertendo plus quam necessarium, sive exigi partim vim omnino non fieri, ubi ea non opus et jam mitiori remedio idem obtineri possit, partim vero, etiamsi ad eam rem vi opus sit, ejus tamen modum justum et necessarium non excedendum.
- 6) Sed ita hanc rem, ultionis armis et arbitrio in privatorum potestate relictis, vix posse temperari et regi, nec fieri igitur posse, quin societatibus inter homines constitutis (quae etiam virium conjunctiones, quomodocumque illae evenerint, non nisi, ut ad rationem rectam sint et justo fini inserviant, in hominibus ratione praeditis jure effectae esse et subsistere possunt, quarumque propterea opes ad promovendam communem sociorum salutem et utilitatem optime, nec aliter recte adhibentur) — mox quoque cura habeatur interdicendi fere omni ultionis privatae exercitio idque, in quantum fieri potest, omne tradendi administrationi publicae, cum tolli et intermitteri etiam nunc nequeat, ut serventur, quae servari homini debeant. Quo facto fere omne ultionis justum exercitium in aliud nomen nempe in illud poenae transire.
- 7) Ex ea vero causa partim poenae rationem ex iisdem regulis esse diducendam, quibus ultio ex vera ejus natura sit obnoxia; licet saepissime poena multo mitior esse debeat quam vindicta, propterea, quia conjunctis civium viribus ad prohibenda etiam sine vi facinora maligna

eorumque repetitionem multae viae apertae et praesto sint — partim autem, cum tamen ea, quorum defendendorum causa ultio a natura permessa et iussa, homini necessaria et talia sint, ut ne quidem ipse iis jure renunciare possit, jurisdictioni criminali, ut ultionem inutilem et vetitam omnino reddat, curae esse debere, ne certe minus quam ultio praestet, id est, tam parata semper sit opem ferre, quam etiam opem revera eandem, quam ultio, praebet in omnibus iis casibus, qui vindictae dant locum, cujusmodi omnes res sint, quae ad tuenda ea pertineant, quibus homini necessario opus in sui suorumque conservationem et ad habenda ea, sine quibus finem humanitatis attingere nequeat. Ad has vero homini res necessarias praeter eas, quae jam a prima natura proficiscantur, societatibus et socialis vitae cultura enatis etiam accedere, eum a contumeliis aliorum securum esse, sive bonae existimationis aliqua possessione ac usu frui debere.

8) His ita positus multa facilius se expedire, quae huc usque in scholis philosophorum varie statuta, nec inania et sterilia sint, sed ad forum et poenarum rectam jurisdictionem quam maxime pertineant.

Vale carissime lector mihi que fave!